



Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

109568

1





A. 564.

Ex lib. Aug. Sluga

Par. Kramburg.

DOCTRINÆ CHRISTIANÆ
EXPOSITIO

AD NORMAM PRÆSCRIPTI

IN

DITIONIBUS AUSTRIACIS

CATECHISMI

USUI

CURATORUM ACCOMODATA.

A

JOSEPHO NOB. DE JACOMINI S. R. I. E.
Ss. Theol. Doct., Protonot. Apost., Examin. publico,
Archi-Parocho & Decano in Neukirchen
Styriæ inferioris Diœcesis Lavantinz.

Tomus I.

CILLEJÆ,
IN TYPOGRAPHIA ŽENKO'NEA.

1791.

109568

DOCTRINE CHRISTIANE
EXPOSITIO
AD NORMAM PRÆSCRIPTAM
IN
DIPLOMATIS AUSTRIACIS
CATECHISMUM
GENTILIS

109568



F2C 10 925 / 1954

3519 10 925

JESU CHRISTO

DEO HOMINI CRUCIFIXO

SUMMO PASTORI.

VENERABILES CONFRATRES
ANIMARUM PASTORES

tutis magistris præscriptum ad unius
recte anni cursum accomodatum, ser-
vato supramemorati Catechismi quæ-
stionum, & responsionum ordine lati-
no, ut ab omnibus legi possit, sermo-
ne exponere aggressus sum: non præ-
termisi opusculi brevitatem aptissima
Ss. litterarum, traditionis, conciliorum
Ss. Patrum, & rationis autoritate fir-
mare, ut simul Dogmaticæ, & doctri-
næ Christianæ sit compendium. Ap-
promiseram etiam Elenchum Cathe-
chismi me ita institutum, ut ad ma-
tutinas valere possit exhortationes; ut
autem perfectius, aptiusque opuscu-
lum fiat, easdem sequenti anno in lu-
cem editurus sum. Quævis exhortatio
exordietur ab Evangelii explicatione,
sequetur Homelítica moralis ad me-
diam horiolam accomodata. Valete.

INDEX

CAPITUM CATHECHISMI

Tom. I.

	Pag.	§.
<i>Inductio.</i>	1	—
<i>I. Caput. De fide.</i>	2	I
<i>I. Articulus. Quid est fides.</i>	2	1
<i>II. Articulus de XII. fidei articulis.</i>	17	12
<i>De I. fidei articulo.</i>	17	12
— <i>Deo.</i>	17	12
— <i>Creatione.</i>	25	20
— <i>II. fidei articulo.</i>	40	37
— <i>III.</i>	47	45
— <i>IV.</i>	52	51
— <i>V.</i>	57	57
— <i>VI.</i>	65	62
— <i>VII.</i>	68	64
— <i>VIII.</i>	72	67
— <i>IX.</i>	78	72
— <i>Ecclesia.</i>	78	72
— <i>Communione.</i>	87	77
— <i>X.</i>	92	81
— <i>XI.</i>	95	84
— <i>XII.</i>	98	85
<i>II. Caput. De Spe.</i>	103	87
<i>I. Articulus. Quid est spes.</i>	103	87
<i>II. Articulus. De oratione.</i>	106	91

De

	Pag.	S.
<i>De oratione Dominica.</i>	114	96
— <i>proloquio.</i>	116	100
— <i>primis tribus petitionibus.</i>	119	105
— <i>quat. postrem. petitionibus.</i>	126	112
— <i>salutatione Angelica.</i>	140	123
III. Caput. De charitate.	150	129
I. Articulus. Quid est christiana charitas.	150	129
II. Articulus. De X. precept. Decalogi in genete.	159	137
III. Articulus. De præcept. Decalogi in specie.	165	145
<i>De primis tribus præceptis.</i>	165	145
— I. Decalogi præcepto.	165	145
— II.	176	152
— III.	186	155
— <i>sept. postrem. præceptis.</i>	191	157
— IV.	191	157
— V.	206	163
— VI.	213	166
— VII.	219	169
— VIII.	225	171
— IX. & X.	231	173
IV. Art. De præc. Eccl. general.	240	178
V. Art. De præc. Eccl. in specie.	242	180
<i>De I. præcepto Ecclesiæ.</i>	242	180
— II.	244	182
— <i>Missæ sacrif. cum explicat.</i>	249	185
— <i>Concionibus.</i>	279	198
— III. præcepto Ecclesiæ.	286	201
— IV.	291	203
— V.	292	204

Nachricht an den Buchbinder.

Dieser Dedikazionstitel ist gleich nach dem Haupttitel des ersten Theils, so wie die Druckfehler am Ende gehörigen Bandes zu binden.

Stichtung an den Buchstaben

Dieser Bedingungsartikel ist gleich nach dem
Bezugnahme des ersten Absatzes in der die
Zurückgabe an mich geschehen ist
zu finden.

I N D U C T I O.

Inter. Quid est Catechismus ?

R. Catechismus est Doctrina Christiano Catholica; ita etiam liber hic vocatur in quo hæc doctrina continetur.

Catechismus vox græca est, quæ explanationem cujusdam objecti audit; objectum in hoc libro sunt fidei Catholicæ dogmata, & mores ad Religionis Christianæ professionem necessario pertinentes, hinc recte librum hunc Catechismum vocari dignoscitur.

Inter. Quod Continet Capita Catechismus ?

R. Quinque; cum Appendice.

Inter. Quænam sunt hæc capita quinque ?

R. Sequentia.

I. Fides.

II. Spes.

III. Caritas.

IV. 7. Sacramenta.

V. Christiana justitia.

Appendix de quatuor extremis.

Sicut hic capita secundum ordinem posita sunt, sic etiam per decursum explanabuntur, & quidem incipiendo a primo Capite.

CAPUT. I.

DE FIDE.

ARTICULUS I.

§. I.

Inter. Quid est Fides Catholica?

R. Fides Catholica est donum Dei, cuius lumine homo firmiter assentitur iis omnibus, quæ Deus revelavit, & per Ecclesiam suam credenda proposuit, sive scripta sint, sive non. Est donum Dei dicente Apostolo ad Ephes. c. 2. v. 8. *gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Sicut enim omnes, tam spirituales, quam corporales dotes a sola omnipotentis Dei dependent miseratione, sic & donum fidei clavis æternæ felicitatis est; ex quo fit, ut homo citra omnem hæsitacionem posthabita humana ratione, experientia, scientia, ratiocinio firmiter credat, & assentiatur, quæ Deus revelavit. Hanc fidem clare explicat Apostolus ad hæb. c. 11. v. 1. *est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Sint præterita, præsentia, vel futura, etsi non appareant, tamen tanquam infallibiliter subsistentia haberi debent, propter

ter Dei revelantis, & Ecclesiæ jubentis
 Authoritatem, quod inferius fusius explica-
 bitur.

§. 2.

Inter. Quid autem sub Dei verbo scrip-
 to, vel non scripto intelligitur?

R. Scriptum sunt libri V. & N. T. inspi-
 rante spiritu sancto conscripti, qui in omni
 sermone ad comprobendam, & confirmandam
 veritatem, ut præcipuum, & invictissimum
 fuscipiuntur fundamentum. Citantur sæpissi-
 me textus, quin, undenam sint, intelligatur,
 ideo non superfluum erit omnes hosce lib-
 ros inspirante spiritu sancto conscriptos re-
 censere.

Sunt igitur V. T. Pentateuchus conti-
 nens quinque libros a Mojse conscriptos,
 nempe *Genesis, Exodus, Leviticus, Nu-
 meri, & Deuteronomium; Josue, Judicum,
 Ruth, 4. Regum, 2. Paralipomenon,
 Edræ primus & secundus, qui dicitur
 Nehemias; Tobias, Judith, Ester, Job,
 Psalterium Davidicum 150. Psalmorum,
 Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum cantico-
 rum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Je-
 remias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duo-
 decim Prophetæ minores, id est, Osea, Jo-
 el, Amos, Abdias, Jonas, Micheas,*
 a 2 Na

Nachum, Habacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus & secundus.

Testamenti novi: quatuor Evangelia, secundum *Matheum, Marcum, Lucam, & Joanem, Actus Apostolorum* a Luca Evangelista conscripti, 14. Epistolæ Pauli Apostoli, scilicet: *ad Romanas, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonisenses, duæ ad Thimotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hæbreos, Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli.* Seriem hanc confirmat Conc. Trid. sess. IV. de Canonicis scripturis. Libri hicce sacri Leges, Historias, Prophetias, moresque continent.

Verbum autem Dei traditum, seu traditio est, quæ quidem in libris Canonicis non continetur, sed ab ore Christi per manus Apostolorum tradita, & sancte per piam Matrem Ecclesiam, & Custodes Patres & Doctores custodita est; ut de jejuniis Ecclesiasticis, de cultu sanctorum, de Missa taliter celebranda, de confessione, & aqua lustrali, & hujusmodi, quæ omnino scripta non inveniuntur, sed a tempore Apostolorum hucusque conservata, & tamquam Verbum Dei scriptum sunt veneranda.

Hoc Verbum Dei scriptum, & traditum nominatur revelatio. hanc autem omnino esse necessariam, facile intelligitur; nostra enim natura per peccatum primi Parentis Adami depravata est, libertas ad bonum fauciata ita, ut naturaliter ad veram Dei cognitionem, cultum, & mandatorum observationem pervenire nemo possit. Probaverunt multi, sed impie lapsi sunt. Hinc ergo Deus jam pridem misertus Creaturarum suarum, dedit legem Moyfi publicandam, dedit Prophetas, & ultimo misit filium suum dilectum Jesum Christum, qui nobis viam salutis pararet, & legem adimplere doceret. Sine revelatione ergo est impossibile salutem assequi, ut idem Concilium eadem sessione affirmat.

§. 3.

Inter. Sufficitne ad salutem Consequendam Christiano Catholico, si solum Corde credat, quæ Deus revelavit?

R. Non sufficit, sed oportet, ut fidem imo. operibus conjungat.

2do. quod credit, etiam, si necesse fuerit, ore palam confiteatur.

Ad 1um. Etsi fides in Deum, & ejus revelationem præprimis necessaria sit, uti constat ad Hæbreos c. I I v. 6. *sine fide impossibile est placere Deo*, eam tamen operibus de-

demonstrare necesse est; credit etiam Diabolus, & Damnati in inferno, quid juvat? Anne unquam salutem sperare æternam ille posset, qui crederet in Deum, sceleste autem viveret, peccata peccatis cumularet? utique non; ideo clare nos docens ipse Christus ait Math. c. 7. v. 21. *non omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.* Quid per verbum *Domine* aliud intelligitur quam sola fides? quæ non sufficit, nisi accedat voluntatis Patris adimpletio, quæ opera sunt. Ultra Jacobus c. 2. v. 26. solam fidem sine operibus mortuo affimulat corpori, dicens: *sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.*

Ad 2dum. Externa fidei confessio, num, & quando obliget, clarissime S. Thomas 2. 2. q. 3. art. 2. explicat; *confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco, & Tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor Deo debitus, & utilitas proximis impedienda; puta, si aliquis interrogaretur de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnita-*

nitatem removerentur a fide, in hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis - - in casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam propalare aliis, vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendam infidelium insultationem. Jam clara S. Doctoris est explicatio, ut alia non desideretur.

Ultro Christus ipse Luc. 9. v. 26. de externa fidei confessione loquens ait: *qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua.* Et iterum Math. c. 10. v. 33. *qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Ex quo sequitur, fidem præsertim cum expedierit ad honorem Dei non esse negandam, sed publice confitendam; errant ergo, qui se plane Catholicos negant, aut disimulant, aut aliam Sectam suscepisse, aut suscipere velle jactant, aut cum infidelibus, Hæreticisque in illorum precibus, & Cœremoniis comunicant, & proprias publice spernunt; qui signa, vestes infidelium, ex quibus qua tales haberi amant, portant. Licet tamen Christianis tempore persecutionis fugere, aut sese occultare, si hæc fuga, aut occultatio non cedat in detrimentum fidei, & scandalum, aut ex ea animarum salus negli-

ligatur, quia ut supra diximus confessio externa dum & quando obligat. Est ergo necesse fidem operibus conjungere.

§. 4.

Inter. Cur credenda sunt, quæ Deus revelavit?

R. Ideo, quia Deus æterna est Veritas, & Sapientia, quæ fallere, & falli non potest.

Quid fit Deus, loquor Christianis fidelibus: opus non est multis differere, Ens est æternum, & perfectissimum; in illo omnes possibiles, & nobis prorsus investigabiles insunt proprietates, hinc clarum est, illum esse verissimum, & sapientissimum, cui aliquam imperfectionem ullomodo admittere ingens scelus esset, quod confirmat Apostolus ad Hæb. c. 6. v. 18. *Deo impossibile est mentiri.* & ad Rom. c. 3. v. 4. *Deus verax, omnis autem homo mendax.* Propter Dei itaque revelantis Authoritatem, æternam veritatem, infinitamque sapientiam, qua omnia exactissime gubernat, credere oportet omnibus iis, quæ Deus revelavit.

§. 5.

Inter. Est ne fides omni homini ad salutem consequendam necessaria?

R.

R. Ita quia sine fide impossibile est placere Deo.

Utique non de alia fide, quam Catholica hic sermo est, ideo relictis omnibus aliis sectis infidelibus, & Hæreticis, sola hæc fides est, per quam intratur in regnum Cælorum, huic solummodo sine omni dubitatione, & formidine sincerissimo corde adhærendum; hæc enim est, ait Joan. c. 17. v. 7. *Vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* & ad Gall. c. 2. v. 16. *non justificatur homo - - - nisi per fidem Jesu Christi - - - & nos in Christo credimus, ut justificemur ex fide Christi.* Eosdem, qui non credunt, condemnatos & judicatos clare declarat Christi Domini sententia Marc. c. ult. v. 16, *qui non crediderit condemnabitur* & Joan. c. 3. v. 18, *qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in Nomine Unigeniti filii Dei.* Fides ergo Christiano Catholica ad salutem est necessaria.

§. 6.

Inter. Quid cujusvis homini usum rationis pertingenti necessarium scire, & credere est, ut salutem consequatur?

R. Scire, & credere necessarium rationis usum pertingenti est:

imo,

1mo. Unum esse Deum.

2do. Deum esse justum judicem, bonorum Remuneratorem, malorumque Vindicem.

3tio. Tres esse unius Essentiæ, & naturæ Divinas Personas, Patrem, Filium, & spiritum Sanctum.

4to. Secundam Personam Divinam, humanam induisse naturam, ut nos per mortem suam in crucis patibulo redimeret, & salvos faceret.

Etsi de his omnibus suo loco tractabitur, tamen sciendum est, rationis usum pertigisse dici quemdam tunc, quando tale jam discretionis lumen est affecutus, ut mali, & boni capax sit; non ergo in ætate majori, vel minori hoc fitum, sed quando prolis sciat hoc esse malum, aut bonum, usu rationis jam gaudet, & consequenter præcedentia misteria scire, & in illis instrui debet. Ita necessarium scitu hoc, ut salutem alias consequi non possit: de his Mysteriis Symbolum Athanasii ab Ecclesia sancte receptum clare ait; *Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in Unitate veneremur - - ut quis Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat - - Hæc est fides*

fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

§. 7.

Inter. Quasnam veritates quivis Catholicus Christianus adhuc scire & credere tenetur?

R. imo. Animam humanam esse immortalem.

2do. Gratiam Dei ad salutem esse necessariam ita, ut homo sine hac nihil meritorium pro vita æterna operari possit.

ad 1mum. Tam ratione, quam fide certum est animam ad similitudinem Creatoris factam omnino nunquam esse perituram, quod fusius inferius, dum de creatione Hominis agetur, tractabitur; fide ergo certum est animam humanam esse immortalem.

ad 2dum. Antequam ad quæstionem hanc respondeatur, de gratia, quam audimus semper, sed forsan non intelligimus, panlisper differendum. Nihil jam prodesset Fides, nihil revelatio, nisi vita nostra secundum Fidem, & revelationem institueretur, cum natura humana per peccatum originale sit fauciata: habitis eitam supra memoratis, nihil efficere boni possit, si aliud medium

dium non esset desuper; quale autem hoc est? quam gratia Divina, quæ donum supernaturale est homini gratis sine omnibus meritis datum, quo adjuvante legem implere, sine quo autem homo sibi soli derelictus, Deo placentem vitam ducere, & salutem consequi non potest; ideo per se patet, gratiam Dei esse necessariam ad fidem, ad perseverantiam, ad observationem mandatorum Dei, ad conversionem peccatoris, ad vincendas tentationes, ad veram Dei dilectionem: verbo, mi homo! quod ambules, quod vigiles, aut dormias, gratia Dei est ad hæc necessaria. Unde audi Apostolum 2. ad Cor. c. 3. v. 5. *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* & ad Phill. c. 2. v. 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.*

Gratia hæc nostram libertatem, qua quivis homo indubitanter gaudet, præparat ad bonum, sine qua nihil fit: ad hoc igitur, ut quid meritorium pro vita æterna homo faciat, libertas per gratiam Divinam adjuvari debet; neque per hoc libertati humanæ officit gratia, ut Conc. trid. Sess. 6. c. can. 4. definivit: *voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior, tanto autem sanior, quanto divinæ mi-*
se-

sericordiæ, gratiæque subjectior: libertas enim sine gratia non est libertas: sed contumacia.

Verissimum est, Deum omnes homines velle salvos fieri, & omnibus dare gratiam, qua ad agnitionem veritatis pervenire possint: atamen sunt, qui hanc susceperê, sunt qui renuerê, sunt, qui a peccatis per gratiam convertebantur, sunt, qui in luto peccatorum remanserê, sunt, quibus dat gratiam Deus, sunt, quibus denegat; gratia enim est non ex justitia, sed misericordia; *non volentis, & currentis, sed miserentis est Dei: ad Rom. c. 9. v. 16.* Insuper cogitandum magni Patris & Doctoris de libertate S. Augustini effatum Epist. 217. *non omnibus hominibus, (gratiam) dari eis, quibus datur, misericordia Dei gratuita dari: eis, quibus non datur, justo Dei judicio non dari, quare autem illos potius, quam illos liberet; homo tu quis es, qui respondeas Deo? nec ulla est acceptio personarum, in duobus debitoribus æqualiter reis, si alteri dimititur, alteri exigitur, quod pariter ab utroque debetur - - - qui liberatur habet, unde gratias agat, qui damnatur, non habet, quod reprehendat.*

Caveamus ergo ne gratiam, quam aliis millenis, & millenis denegavit, nobis misericorditer concessam perdamus, & flocci æstimemus; magnus est thesaurus, & tota divitiæ futuræ vitæ; conservemus illam, pie, & sancte vivendo, sic enim certi esse possumus, facientibus nobis, quod est in se, Deum nunquam denegare gratiam.

§. 8.

Inter. Quid Catholico Christiano scire præceptum est.

- R_x. I. Symbolum Apostolorum.
 II. Orationem Dominicam.
 III. Decem præcepta Decalogi, & quinque præcepta Ecclesiæ.
 IV. Septem sacramenta.
 V. Justitiam Christianam.

Ad 1^{um}. Tenentur fideles necessitate præcepti saltem quoad substantiam articulos fidei scire, & intelligere nemine excepto.

Ad 2^{dum}, Orationem Dominicam de verbo ad Verbum sicut Matth. c. 6. nos docuit ipse Christus salvator.

Ad

Ad 3tium. Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ non scire solum, sed & quantum capacitas admittit, intelligere.

Ad 4tum. Septem sacramenta novæ legis formam & materiam, gratiam, quæ confertur, efficaciam, necessarias dispositiones.

Ad 5tum. Saltem substantialiter de justitia Christiana, de bono faciendo, & malo omittendo, quod inferius fusius suo loco tractabitur.

Hæc omnia, usum rationis assequentes addiscere, ac scire tenentur; hinc gravis noxæ rei sunt, qui hæc ignorant, aut addiscere nolunt, proles non instruunt, aut quomodocumque scire impediunt, Curati animarum, & Pastores, qui oves suas non diligenter, & debito Zelo docent.

§. 9.

Inter. Ubinam hæc continentur præcipue, quæ Christianus Catholicus credere debet?

R. In Symbolo Apostolorum.

Symbolum, de quo hic agitur, nihil est aliud, quam complexus fidei regulæ, sive Tessera religionis Catholicæ, quam Apostolicam ideo vocamus, quia Apostoli utpote legati Christi, ad majorem Christianorum commoditatem in unum contulere, ut per hanc tesseram Christiani veri ab adulterinis cognoscantur, Cath. Rom. Capite primo.

§. 10.

Inter. Quomodo sonat Symbolum?

R. Ita, *Credo in Deum Patrem, omnipotentem, creatorem Cæli, & terræ. & in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum; qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus est; descendit ad inferos, tertia Die resurrexit a mortuis, ascendit in cælum, sedet ad Dextram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est, judicare vivos & mortuos. Credo in spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, comunionem sanctorum, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam. Amen.*

§. 11.

Inter. Quot Partes, seu articulos habet Symbolum Apostolorum?

R. 12. Vocantur articuli; symbolum enim tanquam corpus integrum consideratur, in quo omnia fide tenenda continentur, ideo cum hoc corpus divisum sit, & singula proponat misteria, divisiones recte artus, seu articuli nominantur. De quibus nunc per decursum agemus.

ARTICULUS II.

De 12. Fidei Articulis.

De primo fidei Articulo.

Credo in Deum Patrem, omnipotentem, creatorem Cœli, & terræ.

§. 12.

D E D E O.

Initium Symboli incipit a verbo *Credo*, quod non est existimare, opinari, sed certissime assentiri, quamvis quædam nobis essent inperceptibilia, rationem superantia, tamen firmissime sine omni hæsitatione credamus necesse est, quæ hoc symbolo continentur: non curiose investigando, aut irridendo, ne illud verificetur, quod prov. c. 25. v. 27. scriptum est, *qui scrutator est Majestatis, opprimetur a gloria*; non ratione hæc pervolvenda, sed, ut monet Apostolus 1. Cor. c. 10. v. 9. *neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt, sed in captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi.* Epist. 2. Cor. c. 10. v. 5.

Inter. Sunt ne plures Dii?

R. Unus solum Deus est.

Hoc univcrsum, quod ante oculos quotidie versatur, satis demonstrat Dei existentiam, quod sine hoc ente supremo unico momento in hoc ordine, & mirabili providentia subsistere non posset: unde hæc omnia? Deus est, & hic unicus. Naturalis ratio demonstrat hujus veritatis evidentiam. In uno regno plures reges, in una civitate plures gubernatores, in una domo plures patresfamilias nonne ordinem disturbarent? quod enim uni placeret, alio displiceret; unde cath. rom. in artic. 1. *cum Deo summam bonitatem & perfectionem tribuamus, fieri non potest, ut id, quod summum atque absolutissimum est, inveniatur in pluribus. Quod si cui aliquid ad summum deest, eo ipso imperfectus est, quare nec Dei natura illi convenit.* Cum igitur duo perfectissimi, duo sanctissimi ex ipsa expressione & verbi intelligentia repugnent, fides credendum firmissime proponit, unum solum esse Deum: vide Deut. c. 6. v. 4. *Dominus Deus noster, Dominus unus est,* & c. 32. v. 39. *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me:* Paul. ad Ephes. c. 4. v. 5. *Unus Deus, una fides, unum baptisma.*

§. 14.

Inter. Quid est Deus?

R. Deus in se ipſo Ens perfectiſſimum eſt.

Quænam creatura, neque ipſi Cherubini, & principatus & poteſtates excellentiam Dei eſſari poſſunt. In umbra tantum & tenebris ergo de Deo loqui nobis permiſſum ſit. Attributa & perfectiones infinitæ ſunt, liceat nobis eaſdem pro modulo perſcrutari, & quidem,

I. In Deo ſumma eſt Majeſtas;

En Rex David Pſl. 34. v. 10. exclamat, *omnia oſſa mea dicent, Domine, quis ſimilis tibi,* & Pſal. 112. v. 4. *Excelfus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cœlos gloria ejus, quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat.* Agnoſce ergo Chriſtiane Majeſtatem tremendam Dei tui, & ſerpe, ut fornicæ, & linque ſuperbiam.

II. Immutabilitas.

Deum eſſe immutabilem, oſtenditur Malach. c. 3. v. 6. *Ego Dominus & non mutator,* & Jacobi c. 1. v. 17. *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciffitudinis obumbratio,* ex quo

III. Æternitas,

Jeremiæ c. 5. v. 19. *Tu autem Domine in æternum permanebis, ſolium tuum in*

*generationem & generationem, & Psal. 89.
v. 2. a sæculo, & usque in sæculum tu
es Deus.*

IV. Omniscientia.

*Job. c. 42. v. 2. scio quia omnia potes,
& nulla te latet cogitatio. Prov. c. 15.
v. 3. in omni loco oculi Domini contem-
plantur bonos & malos, & ad Rom.
c. 11. v. 33. o altitudo divitiarum scientiæ
& sapientiæ Dei!*

V. Omnipotentia

*Esther c. 13. v. 9. Domine, Domine
Rex omnipotens in ditione enim tua cun-
cta sunt posita, & non est, qui possit
tuæ resistere voluntati.*

VI. Immenfitas.

*Psal. 138. v. 7. quo ibo a spiritu tuo,
& quo a facie tua fugiam, si ascendero
in cælum, tu illic es, si descendero in
infernum, addes.*

VII. Misericordia & justitia.

*Psal. 83. v. 12. Misericordiam & veri-
tatem diligit Deus; 2. ad Cor. c. 1. v. 3.
Pater misericordiarum. Psal. 118. v. 137.
justus est Domine, & rectum judicium tuum.*

VIII.

VIII. Summa bonitas.

Nonne conservat producta & fovet; peccatoribus parcit, & ingratis. Creavit hominem, cur? quam, ut illi bonitatem comunicaret suam, ideo Lucæ c. 18. v. 19. *nemo bonus, nisi solus Deus.*

IX. Summa sanctitas.

Levit. c. 19. v. 2. *sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester:* O quanto odio peccatum erit in conspectu sanctissimi entis Dei nostri!

X. Summa veracitas.

Math. c. 24. v. 35. *Cælum & terra transibunt, mea verba autem non transibunt;* fidelis est enim Deus, & lubens facit, quæ promisit, utinam & nos erga illum tam fideles essemus, & dum non amplius peccare promittimus, fervaremus. En breviter attributa, perfectionesque summas Dei, tanquam in tenebris latitantes: quis enim hominum investigare vias ejus poterit?

§. 15.

Inter. Quot sunt Divinæ Personæ?

R. Tres. *Prima* Divina persona Pater, *secunda* Filius, *tertia* Spiritus sanctus; quod
ex

ex scriptura probatur, & quidem Joannis c. 13. v. 7. *Mysterium Trinitatis Christus ipse demonstrat; si cognovissetis me, & Patrem meum cognovissetis. . . . quia ego in Patre, & Pater in me est. . . . ego rogabo Patrem, & alium paraclitum (nempe spiritum s.) dabit vobis.* Math. c. ult. v. 12. præcipit Christus Apostolis: *Euntes docete omnes gentes Baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & spiritus sancti.*

Hi autem tres (Joan. i. Epist. c. 5. v. 7.) unum sunt: tres sunt, non tamen triplex, sed trinus & unus Deus, trinus in Personis, unus in essentia. Natura Divina eadem in patre, filio & spiritu sancto; nulla major aut minor: immensus Pater, immensus filius, immensus spiritus sanctus, & tamen non tres Dii, sed unus Deus, & in hac Divinitate tres sunt Personæ, Pater qui a nullo genitus est; Filius, qui ante omnia secula a Patre genitus est; Spiritus S. qui itidem ab æterno ex Patre & filio procedit. Ita trium personarum Patris, cui creatio, Filii, cui redemptio, Spiritus S. cui sanctificatio proprietas est, eandem essentiam substantiamque uno ore confiteamur: inscrutabile hoc sanctissimum Mysterium cæca fide cum omni submissione & reverentia adoremus.

§. 16.

Inter. Quomodo nominantur tres Personæ Divinæ uno verbo?

R. Tres Divinæ Personæ uno verbo nominantur sanctissima Trinitas.

Tres Divinæ Personæ nomine Triadis, aut Trinitatis concipiebantur statim in prima Ecclesia jam Seculo II. ad annum 180. *Fleuri hist. Eccl.*

§. 17.

Inter. Quomodo Christianus confitetur Ss. Trinitatem?

R. Per signum S. Crucis, dum crucem faciendo tres Divinas personas anuntiat.

Per signum S. Crucis confitemur unum Deum, & tres distinctas Personas, est ergo signum crucis confessio publica Ss. Trinitatis.

§. 18.

Inter. Quid adhuc confitetur Christianus per signum Crucis?

R. Confitetur, Christum in cruce esse mortuum & per mortem genus humanum redemisse.

Formando enim S. crucem confitemur in ligno crucis salvatorem nostrum
per-

perfecisse Passionem, nos a servitute Diaboli eripuisse, & hæredes cœli fecisse.

§. 19.

Inter. Quomodo fit crucis signum?

R. Crux fit manu dextera signando frontem, os, & pectus dicendo. In nomine Patris † & Filii † & Spiritus sancti † Amen.

Manu dextera ad frontem elevata, jungendo Policem cum signali, incipitur formari prima crux. Cur in fronte? quia principalis corporis pars est, ubi intellectus, operatio & Principium nostrarum actionum. Cur secunda crux in ore? secundam adoramus Personam, ore eam confitemur. Cur in pectore tertia crux? adoramus amorem, Spiritum S. signando cor, desideria prava amandando.

Latinum autem vel græcum crucis signum formatur dextera manu, & digitis extensis a fronte ad pectus: nempe de cœlo in uterum Matris descendit Christus, dein sinistra ad dexteram, confitendo per signum crucis a sinistra damnandorum, nos Christum perduxisse ad dexteram salvandorum.

Signi hoc sanctissimi crucis antiquissima est traditio, Tertulianus enim in Lib. I. ad uxorem c. 4. *dum signum crucis formas super lectum, super corpus tuum.*

Signum S. crucis invictissima est Tesseræ, & propugnaculum contra omnes tentationes, & spirituales nequitias, per hoc enim fugati sunt Dæmones; per hoc pestilentia, morbi cæssarunt, mortui surrexerunt. Vim efficacissimam signi S. crucis, cognoscens pia Mater Ecclesia canit, *per signum S. crucis libera nos Deus noster*: quodcunque ergo incipis mi Christiane, signa te signo crucis, & non habes, quod timeas. Dum surgis, dum dormire pergis, dum comedis, dum laboras, omnia in nomine Dei fac signando te Ss. crucis signo.

§. 20.

De Creatione.

Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ.

Confitemur per nomen Patris, hoc loco non solum quatenus hoc competit relate ad alias Divinas Personas filium, & spiritum sanctum, sed etiam quatenus Patrem & Creatorem & principium omnis existentia. De Omnipotentis adjectivo notandum est, prout Cath. Rom. solent sacrae litteræ multis nominibus Dei summam Vim & immensam Majestatem explicare, ut ostendant, quanta Religione, & pietate illius sanctissimum Numen colendum fit, sed præcipue omnipotentem vim frequentissime tribui.— *Ego Dominus omnipotens.*
Gen. c. 17. v. 1. Apoc. c. 1. v. 8.

§. 21.

Inter. Quis omnia creavit?

R. Deus Cœlum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, creavit.

Creationem nulli tribui posse, quam Deo, jam ipso rationis lumine patet: solius omnipotentis Patris hæc operatio est. quod Gen. c. I. v. I. *in principio creavit Deus cœlum, & terram* Exod. c. 20. v. II *sex Diebus fecit Deus Cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Aspice te ipsum, quis te creavit animamque tuam? aspice Christiane pulchrum Cœlum, Solem, Lunam, & Stellas, quis creavit? Deus omnipotens; aspice silvas, campos, montes, valles, omnia virentia super terram, plantas fructus, vide omnia animantia, Pisces in aquis, & mari, omnia sunt opera manuum suarum & insuper ut hæc jam creata vides, singulari providentia tamquam providus Pater omnia conservat Psalm. 148 v. 5. *ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.*

§. 22.

Inter. Quid significat Verbum creare?

R. Ex nihilo aliquid producere.

Non

Non facta sunt hæc omnia, ex aliqua jam materia antecedente, sed prorsus creationem Deus ex nihilo perfecit, & hoc ob summam bonitatem, quam creaturis voluit communicare, ideo Eccl. c. 39. v. 30. *bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona, & mala;* propter hominem ergo creavit Deus hoc universum ex nihilo: simus ergo sæpius memores beneficii creationis, & dicamus cum Joanne in Apoc. c. 4. v. 11. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia.*

§. 23.

Inter. Quænam sunt præ aliis excellentiores Creaturæ Dei.

R. Angeli, & Homines.

§. 24.

Inter, Quid est Angelus?

R. Angelus est spiritus, qui intellectum, & voluntatem, sed corpus non habet.

Vox Angelus græca est, quod Missum significat, aut Nuntium: creatura rationalis est intellectu prædita, incorporea excellentior anima humana, quod S. Aug. lib. 12. de

de civit. Dei. c. 5, *Angelicam naturam, omnia cætera, quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedere.* Existere Angelos fides nos docet, scriptura referta est hujusmodi testimoniis, Pfl. 102. v. 20. *benedicite Domino omnes Angeli ejus, & Math. c. 1. v. 20. Ecce Angelus Domini apparuit ei in somnis.* Horum diversi sunt ordines beatorum spirituum: Seraphini, Cerubini, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Angeli, Archangeli, & sicut varii ordines, sic varii excellentiæ gradus.

§. 25.

Inter. Quare Deus Angelos creavit?

R. Ut Deum honorarent, amarent, adorarent, servirent & homines custodirent.

Pfl. c. 96. v. 7. *adore eum omnes Angeli ejus, & Daniel c. 7. 8. 10. Millia millium ministrabant ei, decies millies centena Millia assistebant ei, Apoc c. 5. v. 11. & erat numerus eorum millia millium.* En finem primarium, cur isti beatissimi Spiritus a Deo creati sunt. Finis autem alter, cur creati sint Angeli, est, ut etiam homines custodirent, quod ex sacris litteris clare ostenditur Psal. 90. v. 10. *quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*
&

Math. c. 18. v. 10. *Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis, dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est:* & Apostol. ad Hæbreos c. 1. v. 14. *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis:* fide igitur certum est, cuivis homini præsertim autem christiano pro custodia Angelum esse assignatum, eundemque semper usque ad exitum ex hac vita comitari.

Considerate, quanta pietate, & Veneratione colendi sint a nobis beati spiritus, ubicunque moraris, domi, in diversorio, in agro, in vinea, in Sylva, in quocunque angulo etiam secretissimo, Angelus adest, & Angelus videt; ille est qui te monet, & vi per viam salutis ducit; quale gaudium non habiturus est, si videt ministerium suum esse tibi proficuum; quam tristis autem, si viderit te in luto peccatorum semper latentem, si adverterit inspirationes a te negligi: discedet a te, & relinquet te spiritui Diabolico, qui te reget ad certam damnationem.

§. 26.

Inter. Quomodo creavit Deus angelos?

R. Deus angelos in gratia creavit multis perfectionibus.

Fi-

Finis creationis Angelorum est, ut Deum adorarent, eique ministrarent: ut autem hoc adimplerent, necesse fuit gratiam, perfectiones illis a Deo tanquam medium necessarium conferri. Angelos in gratia fuisse creatos ipse Christus Joannis c. 8. v. 44. declarat, dum de Diabolo ait, *Diabolum in veritate non perstitisse*, per verbum veritas nihil aliud intelligi potest, quam gratia, ergo in gratia creatos esse esse Angelos patet.

§. 27.

Inter. Anne omnes Angeli in gratia Dei perstiterunt?

R. Multi eorum gratiam per peccatum superbiæ perdidērunt.

De hoc superbiæ peccato Isaïæ c. 14. v. 11. legitur: *detracta est ad inferos superbia tua. v. 12. quomodo cecidisti de cælo Lucifer v. 13. qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam. v. 4. ascendam super altitudinem nubium similis ero altissimo.* Simili modo seduxit Satanas primum nostrum Parentem Adamum, ut comederet de fructu vetito, & per hoc mali bonique scientiam haberet. *En superbiæ initium peccati,* Eccles. c. 10. v. 15. lapsus hinc illorum Angelorum fit nobis sæpius campus medi-
ta-

tationis fragilitatis nostræ, si illi ceciderunt, quo facilius nos cadere poterimus.

§. 28.

Inter. Quomodo Deus Angelos prævaricatores punivit?

R. Deus superbos Angelos & prævaricatores quos Diabolos vocamus, æternis pœnis punivit.

Hoc ingens superbiæ monstrum prævaricatorum Angelorum, Deus æternis cruciatibus punivit, ut Pet. Epist. 2. c. 2. v. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos; idem confirmat S. Judas Apost. in Epist. sua catholica v. 6. Angelos vero, qui non servaverunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Insuper per peccatum visione beatifica privati, obscuratus intellectus eorum, obdurata in malo voluntas ita, ut speciali odio homines perdere æternum volentes, permissione divina tentent, insidienturque, quod ostenditur Luc. c. 22. v. 31. *Simon ecce Sathanas expetivit te, ut cribraret sicut triticum & 1. Petr. c. 5. v. 8. Adversarius vester, Diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens, quem devoret.*

§. 29.

§. 29.

Inter. Quænam post Angelos sunt præcipuæ Dei creaturæ ?

R. Homines.

Postquam Deus Cœlum & terram creasset, vidissetque quæ fecerat esse valde bona, fecit hominem, qui præesset universæ terræ. Gen. c. 1. v. 26. *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,* & 27 v. *creavit Deus hominem ad imaginem suam ad imaginem Dei creavit illum;* quid excelsius in imagine & similitudine Divina ? ulteriori igitur demonstratione opus non est præcipuas creaturas post Angelos esse homines. Angeli ad imaginem Dei creati sunt, sed quia majori virtute præditi & hominibus in custodiam dati & corpore expertes, homines excellentia præcedunt. Notandum porro est, dum de creatione hominis sermo fit, animam tantum ad similitudinem Dei creatam esse, corpus enim ex limo terræ factum est.

§. 30.

Inter. Ex quibus homo constat?

R. Corpore, & immortalis animæ ad imaginem Dei factæ.

Corpore constare hominem nulla probatione opus est, initium existentia a Dei crea-

creatione defumitur, ratio, & fides docet Gen. enim c. 2. v. 7. dicitur *formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem: Quod de Adamo, v. 21. soporem imisit, cumque obdormivisset, tulit unam de costis ejus & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus costam - - in mulierem & adduxit eam ad Adam; en tam viri quam mulieris creationem.*

Moritur corpus exeunte anima, quæ non quidem necessitate naturæ, sed beneficio conditoris immortalis est, ut ait S. Aug. l. 4. de gen. c. 25. Animæ humanæ immortalitas ex sacris cruitur scripturis: Tobias c. 3. v. 6. orat Deum dicens: *& nunc Domine præcipe in pace recipi spiritum meum; quomodo in pace, nisi animam scivisset mortuo corpore adhuc permanentem, & quomodo veram optasset pacem, nisi pax illa æterna esset, l. 2. Mach. c. 6. v. 26. nam etsi (senex dixit Eleazarus) in præsentis tempore suppliciiis hominum eripiar, sed manum omnipotentis, nec vivens nec defunctus effugiam: cur non defunctus? quam quia anima superstes immortalis est, quia iterum corpus in resurrectione conjungetur æternum cum illa duraturum.*

§. 31.

Inter. Quare Deus hominem creavit?

R. Ideo ut homo Deum agnoscat, veneretur amet, adoret, illi seruiat, obediatur, & saluus fiat.

Deus primum hominem condidit gratia, & iustitia originali, quarum gradus erat omnino eximius, sanctus & innocens, plena ad iustitiam, libertas, & odium ad iniquitatem corpus doloris & mortis in illo felicissimo statu omnino expers, & ut ait S. Aug. l. 14. de civit. Dei c. 26. *summa erat in carne sanitas, in anima tota tranquillitas, gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro de hoc Ecc. c. 7. v. 30 dicitur: fecit Deus hominem rectum, c. 17. v. 2. vestivit illum virtute:* cur autem ita Deus fecit hominem, quam ut finem, propter quem ita creatus est, adimpleret, ut nempe Deum suum agnosceret, amaret, adoraret, illi serviret, mandatis obediret, & sic gaudium æternum assequeretur; sæpius igitur ob ingens creationis nostræ beneficium Deo Patri nostro gratiæ agendæ sunt, qui nos e nihilo produxit, & hæredes suos fieri voluit.

§. 32.

Inter. Anne homo Deo semper obediens fuit ?

R. Jam primus homo Adam cum sua uxore Eva Deo inobedientes erant.

Etsi in statu naturæ puræ primi parentes fuerint a Deo constituti justî, tamen non diu in justitia remansere, sed per prævaricationem mandati, inobedientes facti sunt; quod pluribus §. seq.

§. 33.

Inter. Quomodo homo inobediens fuit

R. Primus homo in Paradiso de fructu vetito arboris comedebat.

Creato homine Dominus Deus posuit eum in Paradiso voluptatis, locus hic erat omnis gaudii & consolationis: dedit Deus libertatem, ut omnibus, quæ sunt in Paradiso frueretur, sed gen. c. 2. v. 17. *de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas* præcepit; cur hoc dederit Præceptum, Dominus est, tentavit obedientiam. Diabolus, Angelus malus invidus tam sublimi hominis felicitati serpentem obsidens, Gen. 3. c. 1. v. 1. alloquebatur Evam: *cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis*

de omni ligno Paradisi -- ne forte moriamur, respondit mulier: tunc serpens non credas, nequaquam morte moriemini: scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, — eritis sicut Dii, scientes bonum & malum: tentatio infelix vicit Evam, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo qui comedit. Hoc erat tristissimum momentum, quo violando præceptum ex statu puro & sancto ob superbiam, avaritiamque primi nostri parentes cæciderunt.

§. 34.

Inter. Anne hoc peccatum primo tantum homini nocivum fuit.

R. Non solum illi, sed nobis omnibus, qui ab illo provenimus; hoc peccatum temporalem & æternam nobis causavit mortem, & multa alia mala in corpore & anima.

Commisso vix peccato pœna secuta est, Gen. c. 3. v. 16. mulieri dixit Deus, multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris. Adæ autem v. 17, maledicta terra in opere tuo v. 19. in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris: in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris v. 23. emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis; amiserunt justitiam originale, &

& gratiam; in sudore vultus operari terram condemnati, ut soli sentimus; libertas ad bonum sauciata est, idcirco concupiscentia & caro adversus spiritum surgit, præter corporis morbos & miserias corpus morti obnoxium factum est.

Hoc peccatum & consecraria tanquam hæreditas in totum genus humanum pertransierunt, ideo hæreditarium & originale vocatur. Etsi jam per se omnibus his homo sit obnoxius, quibus parentes nostri a Deo puniti sunt, experientia tristis optimus testis est. Clare de translatione peccati hujus sacræ scripturæ loquuntur: Job. c. 14. v. 4. *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine*: hæc immundities alia esse non potest, quam originalis, quæ omnes fœdat homines; & c. 15. v. 14. *quid est homo, ut justus appareat natus de muliere*: en Rex David Psl. 50. v. 7. *ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, & Paulus ad Rom. c. 5. v. 15. *propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt*: unde autem, ut nullus sit exceptus? quomodo hoc factum, ut in me transfusum sit peccatum? unde hoc, quod in ini-

qui-

quitate, in peccato conceptus sim? mi Christiane non perscruteris, judicia enim Dei abyssus multa; experientia tristi edoctus crede firmiter te in communem hunc lacum cecidisse; agnosce in te miseriam, & in creatore adora misericordiam,

§. 35.

Inter. Anne etiam homines, ut superbi Angeli a Deo æternum perditum sunt?

R. Nequaquam homines sicut superbi Angeli in æternum perditum sunt.

Cur prævaricatores Angelos e cælo detrulerit Deus, homines autem non perdidit æternum, ratio est, cum Angelorum status multo fuerit excellentior gratia & dotibus, quam hominum, adeoque lapsus gravior, eosdem æternis addixit pœnis, homini autem misericorditer pepercit.

§. 36.

Inter. Quid promittit Deus homini ob peccatum perditum?

R. Deus promittit ad redemptionem generis humani per peccatum lapsi redemptorem, qui etiam Messias vocatur.

Etsi homo per peccatum Deo inobediens factus est, ita, ut æternum perderetur tamen

men statim subsecuta est peccato misericordia, nam Gen. c. 3. vl 19. dixit Dominus: *inimicitias ponam inter te (serpentem, diabolum) et mulierem, ipsa conteret caput tuum.* Prædicta est mulier beata Virgo Mater Domini nostrj Jesu Christi per nativitatem salvatoris, serpentem nempe peccatum concussura & deletura: ultro Gen. c. 49. v. 10. *non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium & v. 18. salutare tuum expectabo Domine,* & Dan. c. 9. v. 24. ubi Propheta elare loquitur consumari prævaricationem, & finem accipere peccatum, deleri iniquitatem, & adduci justitiam sempiternam, & ungi sanctum sanctorum: ex his adventus Christi demonstratur, in quem venturum jam veteres antiqui credere ex fide tenebantur.

In nova lege adventus Christi in toto sacro Evangelio confirmatur, & Paulus ad Ephes. c. 2. v. 4. *Deus, qui dives est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convificavit nos in Christo.* Messiaë autem nomine unctus appellatur, seu Christus de quo in sequenti Articulo.

Ut gratitudo eo major in cordibus nostris excitetur, recordemur tam peccati, quod

quod secum tulimus, & miseras naturalis nostræ constitutionis, quam ingentis & infinitæ misericordiæ, qua nos Deus non perdere, sed per missionem sui dilectissimi filii redimere voluit.

De secundo fidei articulo.

Et in Jesum Christum, filium ejus unicum Dominum nostrum.

§. 37.

Inter. Quis est Jesus Christus?

R. Jesus Christus est?

1mo. Filius unigenitus Dei Patris?

2do. Homo Deus.

3tio. Dominus noster, legislator & Magister.

Hujus articuli credendi necessitas simul & utilitas per se clara est, dicitur enim I. Joannis c. 4. v. 15. *quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo-- omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est: salus igitur æterna illi, qui fidei hunc articulum confitetur.*

§. 38.

Inter. Quid Jesus nomine intelligitur?

R. Jesus idem est, ac Salvator.

Non

Non fortuito, sicut homini, nomen hoc impositum est mediatori nostro, sed expressa Patris cælestis voluntate, consilio & præcepto; Archangelus enim Gabriel dum conceptionem Mariæ Virgini anuntiaret, ut Luc. c. 1. v. 31. legimus, dixit; *ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum*: Math. c. 1. v. 21. *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*: de hoc salvatoris nomine jam Propheta Habacuc c. 3. v. 18. prædixerat, *& exultabo in Deo Jesu meo*.

Et quid, anne immerito hoc nomen filio Dei fuit impositum? quis enim nos redemit, quis nos ex Diaboli eripuit potestate? quam hic, cui nomen Jesus, salvator. Hoc est illud sanctissimum nomen, quocum omnis oratio incipit & concluditur, in quo conferuntur sacramenta: per hoc nomen justificatur peccator & gratia cælesti donatur: per hoc nomen pelluntur Diaboli & tentationes: per hoc nomen miseris venit solatium: Nomen hoc summæ est excellentiæ, tremendæque Majestatis, de quo Apostolus ad Philip. c. 2. v. 9. *propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum*.

§. 39.

Inter. Cur Jesus salvator?

R. Quia per eum salus nobis facta, cum nos delendo culpam & pœnam peccati a morte æterna liberavit.

Cum per peccatum Adæ, tam culpæ rei facti, quia contra præceptum peccavimus, & insuper ob peccatum pœnas æternas promeriti sumus, per adventum & redemptionem tantum effecit Christus, ut culpa & pœna æterna sit deleta ita, ut nobis nihil sit opus amplius, quam ut Sacramento Baptismi abluamur, regenemurque relictis solum corporis miseriis & certa propter peccatum corporali morte. A peccato seu culpa nos esse liberatos testatur Joan. c. 1. v. 7, *sanguis Jesu Christi emundet nos ab omni peccato*, & a pœna Propheta Isaias c. 53. v. 4. *linguæ nostras ipse tulit & dolores nostros ipse portavit; ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*; cum igitur per Jesum Christum vocati, justificati simus ex perditione ad gloriam, salvator noster vere confitendus & læto corde adorandus.

§. 40.

Inter. Quo nomine adhuc Jesus appellatur?

R. Jesus etiam Christus, seu unctus appellatur.

Ungebantur enim olim Prophetæ, Sacerdotes & Reges, cum porro Jesus salvator noster in mundum venit, Prophetæ atque Doctoris, Sacerdotis, ac Regis partes & officia suscepit, ideoque Christus dictus est unctus ad illorum munerum functiones non terreno unguento, sed spirituali oleo, Spiritus S. plenitudine omnium donorum uberrima in ejus sanctissimam naturam effusione, Nat. Alex. L. 1. art. 2. §. 3. ideo Psl. 44. v. 8. *propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis;* cum salvator & rex noster sit, sub illius potentissima tessera christiano gaudemus nomine; unde quam a Christo? ideo sicut salvator S. Spiritus plenitudine unctus est, sic & nos per Baptismum sacro uncti oleo indelebile Christiani nomen suscipimus: hinc S. Aug. tract. 33. in Joannem, *ideo immaculatam vitam agamus, quia Christi corpus sumus, imo Christus ipse per unctiōnem inhabitantis in nobis spiritus ejus.*

§. 41.

Inter. Cur Jesus Christus filius Dei unigenitus appellatur?

R. Ideo, quia unicus est filius a Patre suo cœlesti ab æterno progenitus.

Antequam hic ad explicationem procedamus, Christum Dominum duas naturas habere distinguendum est, Divinam unam, humanam alteram: primam qua ab æterno a Patre est genitus, & secundam, qua in tempore ut homo natus est, hic ergo de natura Divina sermo est; ideo cum Jesum Christum filium Dei, & a Patre genitum ab æterno dicimus, nihil terrenum de ejus generatione cogitandum est, nec filium minorem Patre, nec Patrem minorem filio, aut Spiritu S. opinandum; non filium ex substantia Patris esse genitum, sed absque omni divisione generationem filio esse ab æterno communicatam credendum, percipere enim est impossibile, dicente Isaia c. 53. v. 8. *generationem ejus quis enarrabit.*

Unicum autem esse Patris filium & non plures Luc. c. 3. v. 22. aperte legimus *tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi*; cur dilectus? quia, unicus quod confirmat & fide tenet Ecclesia universalis, Conc. Nicænum & Constantinopolitanum, *unum Dominum Jesum Christum filium Dei unigenitum profitetur*, est igitur filius Patris unicus Christus Jesus ab æterno progenitus.

§. 42.

Inter. Estne Jesus Christus simul Deus, & homo?

R. Jesus Christus est Deus & homo simul qua Deus ab æterno, qua homo in tempore natus.

Cum Jesus Christus duas habeat naturas Divinam unam, & humanam alteram, necesse est eundem esse Deum & hominem simul: secundam Personam autem hominem factum esse probatur Joan. c. i. v. 14. *Et verbum caro factum est, Et habitavit in nobis*; filius nempe carnem in se suscepit, utique non ab æterno, sed in tempore, conceptus de Spiritu S. natus ex Maria Virgine. Christum Deum simul & hominem esse, Petrus Matth. c. 16. v. 15. confessus est, cum enim salvator interrogaret discipulos suos, *vos autem quem me esse dicitis*, respondit princeps Apostolorum: *tu es Christus filius Dei vivi*, per quam cordialem declarationem Christum ut Deum & hominem confessus est, quo tantum effecit, ut claves regni cœlorum accepisset, eundemque in Ecclesia sua primum constituisset.

§. 43.

Inter. Cur Jesus Christus Dominus noster appellatur?

R. Ideo, quia Deus & Redemptor noster est.

Non

Non solum qua Deus, sed & qua homo Dominus noster est Christus; Domini est potestate uti, & præcipere, & quid aliud legimus Math. c. 28. v. 18. *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra;* ultro in sacro Evangelio mandat Apostolis dilectionem, & multa alia docet, instruit; Apostoli eundem semper vocarunt Dominum, ut Thomas, *Dominus meus & Deus meus*, Joan. c. 20. v. 28. *Domine tu mihi lavas pedes*, c. 13. v. 6. cum itaque præcepta dederit & docuerit & portas infernales sua potestate fregerit, recte Dominus, legislator & Magister appellatur.

§. 44.

Inter. Cur filius Dei homo factus est?

R. Ideo, ut nos per mortem suam redimeret & salvos faceret.

Quid non erat possibile coram Deo remitti peccatum, nisi ut Deus homo fieret, & pro nobis moreretur? omnia quidem possibilia sunt, & verbo potuisset fieri remissio atamen cum læsa Majestas Divina non aliter ab æterno prædestinaverit, quam ut Deus homo fieret, & sic per mortem suam pro omnibus hominibus satisfaceret, id necesse erat, quod patet clare in sacris scripturis act. c. 4. v. 12. *& non est in aliquo alio salus, nec enim aliud nomen* (nempe Chri-

Christi,) est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, & Paulus ad Thim. 1. c. 2. v. 5. unus enim Deus unus & Mediator Dei & hominum Christus Jæsus: extra filium Dei igitur nunquam speranda fuisset Redemptio: ideo homo factus est, ut salvos nos faceret. O si beneficium hoc & immensam illam Dei charitatem considerarem, impossibile esset nos fore erga Deum nostrum tam ingratos: potuisset utique justissimo suo æque ac sanctissimo inscrutabili judicio nos omnes ob peccatum, sicut perdidit Angelos prævaricatores, perdere, sed ut Joan. c. 3. sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam.

De tertio fidei articulo.

Qui conceptus est de spiritu sancto natus ex Maria Virgine.

§. 45.

Inter, Habetne Jæsus Patrem?

R., Jæsus qua Deus Patrem habet, qua homo non habet.

Jæsum qua Deum, Patris esse ab æterno progenitum filium §. 41. dictum est, qua hominem autem Patrem non habere fide

fide certum est; non ut homines conceptus est Christus, sed supra omnem ordinem naturæ ex virtute altissimi verbum caro factum est: quam operationem omnes tres Divinæ personæ perfecerunt, non ex Divina substantia aut portione, non generatione, sed creatione de spiritu sancto: unde Math. c. i. v. 20. *quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est; non carne aut sanguine, sed virtute ex alto: naturalem ergo Deus homo patrem non habuit, consequenter Christus homo in peccato conceptus non est: Maria ante & post partum Virgo permansit.*

§. 46.

Inter. Eratne Josephus sponsus Mariæ vel Pater Jesu Christi?

R. Josephus nutritius tantum erat Jesu, Christi.

Cum enim de spiritu sancto conciperetur, Christus Patrem hominem habere non potuit; ne autem statim Mysterium hoc palam fieret, Dei dispositione desponsatus est Mariæ tanquam Nutritius infantis & custos; qua propter cum adverteret Josephus gravidam Mariam nesciens Mysterium, voluit dimittere eam, Math. c. i. v. 19. donec Angelus in somnis diceret, *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod*
enim

enim in ea natum est, de Spiritu S. est; ex quibus patet Josephum non patrem naturalem, sed tantum Nutritium fuisse.

§. 47.

Inter. Habuit Jesus Matrem?

R. Jesus qua Deus Matrem non habuit, qua homo autem Matrem habuit Mariam beatissimam Virginem.

Filium Dei Matrem habuisse beatissimam Virginem Luc. c. i. v. 28. & seq. *Ingressus Angelus (Gabriel) ad eam dixit: Ave Maria gratia plena, Dominus tecum benedicta tu in mulieribus, - - turbata est in sermone, & ait Angelus ei, ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. - - Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum, hic erit magnus, & filius altissimi: ad que Maria, - - quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco, & respondens Angelus dixit; Spiritus S. superveniet in te & virtus altissimi obumbravit tibi; - - dixit autem Maria; ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Momento ergo quo Maria suam cum Divina in omni humilitate conjunxisset voluntatem, concepit filium de Spiritu S. Deus homo factus est ex purissimo Virginis sanguine; eodem momento corpori Christi

anima immortalis, & simul Divinitas copulata est; eodem momento beatissima Virgo in utero habuit verum Deum & hominem Jesum Christum salvatorem nostrum; Christus carnem suam de Maria sumpsit, habuit itaque naturalem Matrem beatissimam Virginem.

§. 48.

Inter. Quare Maria Dei Mater appellatur.

R. Ideo, quia Jesum Christum, qui Deus homo est peperit.

Non est hic intelligendum, ac si Maria secundum divinitatem Mater esset, Deus enim ab æterno est; sed Dei incarnati Mater est, hominis Dei: sicut alias Matres solius corporis genitrices nemo recte dixerit, quamvis animam non pariant, concipiunt enim, ac pariunt hominem anima, corporeque constantem, sic beata Virgo vere, ac proprie Dei Mater est, quia Deum & hominem genuit, qui vere Deus, & vere homo est; dicitur Mater totius hominis, sic & Maria Mater totius Jesu Christi filii Dei. Hoc Matris Dei nomine jam ab antiquissimis temporibus Ss. Patres Virginem declararunt, ut S. Dyonisius, Athanasius, Basilius, Gregor. Nazian. Cyrillus.

§. 49.

Inter. De quo Maria Jesum concepit ?

R. Maria Jesum concepit de Spiritu S.

Mariam non de homine, sed de Spiritu S. concepisse Filium Dei, jam supra ostendimus; cur autem hæc conceptionis virtus Spiritui S. tribuatur, cum tamen eandem integra Ss. Trinitas est operata, dilucidandum venit; omnia, quæ Deus extra se in rebus creatis agit, tribus personis sunt communia, neque unam magis, quam aliam agere fides docet, quamvis operationes, quæ omnibus communes sunt, per sacram scripturam diversis tribuuntur, ut Patri creatio, Filio redemptio, & Spiritui S. sanctificatio, cui etiam amor tribuitur, & sic Mariam de Spiritu S. concepisse dicendum, firmiterque credendum est. Ita etiam, etsi incarnationem Ss. Trinitas operata est, tamen solum secunda persona Filius unigenitus Patris incarnatus est.

§. 50.

Inter. Ubinam Maria Jesum peperit ?

R. Maria Jesum in civitate Bethlehem in stabulo peperit.

Concepit beatissima Virgo in civitate Nazareth in domo Parentum, peperit autem in civitate Betlehem in misero stabulo;

hiemis tempore, in raucissima acris inclementia, in tenebris, in gravi paupertate, in præsepio, in medio duorum animalium: & quis est ille, qui natus est? quam Deus æternus, secunda Divina persona, filius Dei, hinc, ut ait S. Lucas c. 2. v. 7. *non erat locus in diversorio, ubi tamen Domini est orbis terræ & plenitudo ejus*, Pſal. 23. v. 1. & ego misera creatura sanctissimi Infantis digna sum, ut terra me alat, portetque: infinitus est amor erga me salvatoris mei, & ego quid retribuo? quam iniquitates. Salvator meus ab initio nativitatis humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, & ego vermis & opprobrium hominum, pulvis & umbra me extollo & superbio; advertite o homo, superbia perdidit Angelos & homines, & solum humilitas Christi redemit te.

De quarto fidei articulo.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

§. 51.

Inter. Poteratne Jesus pati?

R. Jesus poterat qua homo, non qua Deus pati.

Christus verum habuit corpus & animam humanam, hominis autem natura passibilita-

tatem necessario secum fert, fuit itaque Christus qua vere homo passionis & doloris capax; Deo autem passionem tribuere, qui perfectissimus est, impossibile est.

§. 52.

Inter. Anne Christus vere passus est?

R. Christus vere passus est tam in anima quam corpore.

Christum Dei filium vere esse passum, captum, illusum, flagellatum, in cruce mortuum sub Pontio Pilato, qui erat sub Tiberio imperatore in Judæa præses, nobis abunde scripturæ testantur, ipse enim salvator passionem suam prædicens Math. 20. v. 18 ait, *ecce ascendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur Principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum.* Christus vere non solum pro peccato per primum nostrum Parentem admisso, sed etiam pro omnibus peccatis, quæ comissa sunt, & adhuc usque ad finem comitentur Patri cœlesti per passionem & mortem suam satisfecit, quod jam Proph. Isaias c. 53. v. 4. *vere languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit.* S. Petrus Epist. 1. c. 2. v. 21. *Christus passus est pro nobis.*

§. 53.

Inter. Quid Christus in anima est passus?

R. Christus in anima angustiam & tristitiam passus est.

Qualem tristitiam & angustias passus sit salvator noster, de se ipso testatur Math. c. 26. v. 37. *cœpit contristari & mœstus esse, & ait: tristis est anima mea usque ad mortem. Pater mi exclamavit, si possibile est, transeat a me calix iste, nempe accerbitas passionis. Marc. c. 14. v. 33. cœpit pavere & tœdere. Luc. c. 22. v. 44. & factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurentis in terram, cur contristabatur? cur petiit, ut calix transeat? cur pavor induit Christum? cur tam acriter sudavit? non enim tunc corpore patiebatur, ubi igitur? quam in anima humana hos sensit dolores & angustias.*

§. 54.

Inter. Quid Christus in corpore passus est?

R. Christus in corpore mala multa, verbera, vulnera perpessus, flagellatus & spinis coronatus est.

De acerbissima Christi Domini nostri passione & dolore nullus hominum satis effari potest, de se salvator ait per Prophetam
tam

tam Jeremiam c. i. v. 12. *attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus: accipe simul omnia tormenta, quæ unquam mundus excogitare potest, omnes cruciatus, vulnera & verbera, ignis vehementiam, & ferri aciem, quid in comparatione dolorum, & tormentorum Christi; videte, videte, si est Dolor, sicut Dolor meus, pedes & manus clavis confixæ, caput spinis perforatum, facies sputis fœdata & alapis enormibus cæsa, corpus flagellis penitus dilaceratum, funibus ad columnam vinctum. Quid innumeræ, & infames calumniæ, contumeliæ, Blasphemias, irrisiones? a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus & livor & plaga tumens.* Isaïæ c. i. v. 6.

§. 55.

Inter. Anne Christus adhuc pluris passus est?

R. Calumnias, blasphemias. &c. de quibus §. antecedente jam actum est.

§. 56.

Inter. Ubi Jesus Christus crucifixus & mortuus est?

R. Jesus Christus in monte Calvariaë penes civitatem Jerusalem crucifixus & mortuus est.

Non

Non sufficere ea, quæ supra comemoravimus, sed adhuc multo acerbiora, ac turpiora Christus sustinuit tormenta; assimilaverunt eum impiissimis latronibus, Math. c. 27. v. 35. *crucifixerunt eum*; pœna hæc erat turpissima apud Judæos, nam in lege eorum Deut. c. 21. v. 23. *Maledictus a Deo est, qui pendet in ligno*; per lignum peccavit homo, & in ligno accepit veniam & salutem; o video, quali feroci cupiditate agnus hic innocens cruci affigitur, manus & pedes ejus sanctissimi perforantur, non satis; neque pro ultimo potu illi conceditur naturalis liquor, felle, & aceto os suum implent; adhuc sanguis in corde suo fluit, & ut ultima gutta exeat, cor transverberatur, jam non amplius anima consistere potest, & nunc emittit Spiritum Christus, & consummata sunt omnia; voce magna Jesus ait Luc. c. 23. v. 46. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum, & hæc dicens expiravit*; sepultum est sanctissimum corpus ab Arimathea in monumento, ubi nullus adhuc erat positus.

O infinita Dei misericordia, filius Dei homo factus pro nobis, mortem turpissimam obiit, quis Mysterium hocce tantum a longe cognoscere poterit? per mortem tuam o bone Jesu, nos a peccato, & a
dia-

diabolica potestate liberaſti, per mortem tuam pro omnibus peccatis totius mundi ſatisfeciſti; per mortem tuam nobis abſeratum Cœlum aperuiſti, ut omnis, qui voluerit, intrare poſſit; confiteamur cum Apoſtolo ad Corinth. c. 2. v. 2. & promittamus, nos non velle quid aliud unquam cogitare, *niſi Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum.*

De quinto fidei articulo.

Descendit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis.

§. 57.

Inter. Anne descendit Chriſtus corpore & anima ad inferos.

R. Anima Chriſti tantum descendit ad inferos.

Chriſtus corpore mortuus descendit ad inferos, hoc eſt anima ejus humana (Divinitas enim ſemper remanſit in corpore) ad limbum descendit, non quaſi luendum quid haberet, erat enim puriſſimus Spiritus, *inter mortuos liber*, Pſal. 89. ſed ut juſtos veteres Patriarchas, Prophetas, qui ante conſummata redemptionem cœlum ingredi non poterant, conſolaretur, & redimeret; ubi tamdiu manſit, quamdiu ejus corpus in ſepulchro fuit, porro confi-

ten-

tendum est & fide tenendum, eandem Christi personam eodem tempore, & apud inferos fuisse, & in sepulchro jacuisse. Cath. Rom: non igitur virtute & operatione, sed re & præsentia anima Christi ad inferos descendit, de hac liberatione loquitur Dominus per Ecclesiasticum c. 24. v. 45. *penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* En clarum in inferiores partes ad inferos descensum: dormientes hoc est veteres justos salvavit Christus.

§. 58.

Inter. Quid intelligitur per inferos.

R. Inferorum nomine abdita illa receptacula, ubi animæ defunctorum, quæ cœlestem beatitudinem non sunt assecutæ, detinentur.

§. 59.

Inter. Quot sunt ejusmodi receptacula, quæ inferos vocamus?

R. Tria.

imo. Locus, ubi damnati æternum cruciantur, infernus damnatorum appellatur, cui omnes gravioris offensæ Dei rei, & impœnitentes addicti sunt; est locus deterri-

rimus & obscuriffimus, in quo, ut Christus Math. c. 8. v. 12. ait: *fili autem regni, hujus mundi, ejicientur foras, ibi erit flectus & fridor dentium*: de quo ait Ifaias c. 66. v. 24. *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur.*

2do. Locus in quo animæ peccatis venialibus, vel temporalibus pœnis obnoxia detinentur, purgatorium appellatur, anima enim dum ex corpore exit, vel nondum expiavit, vel adhuc maculis venialibus infecta est, cum autem nihil immundum in regnum cœlorum intrare possit, tandiu retineri debet, donec purgata sit, sicut aurum, de quo Christus Math. c. 5. v. 26. *amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem, quam solvere nos Christiani pro fratribus nostris oratione & piis operibus solliciti esse debemus: sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis, hoc est pœnis solvantur, Math. l. 2. c. 12. v. 46.*

3tio. Locus, in quo animæ Beatorum sine ullo doloris sensu in firma spe redemptionis, usque dum Christus descenderet detinebantur, lymbus appellatur.

Cum omnes homines a constitutione mundi ab Adamo progenitos labes originalis infecerit, quæ utpote mortifera erat,
&

& justissimi piissimique regnum cœlorum intrare non poterant, priusquam Christus satisfecisset, *nondum enim propalata erat sanctorum via.* Paul. ad Hæb. c. 9. v. 8. in loco tertio detinebantur per fidem in futurum Messiam, per quem liberabantur a pœnis inferni; ibi nullo dolore afficiebantur, sed desiderio in adventum Christi flagrabant: hos ergo Christus post mortem descendendo in infernum seu lymbum redemit; si captivum e carcere liberum dimittis, quanto non gaudio implebitur? quanta majori consolatione animæ illæ justæ exultabant illo felicissimo momento, quo Christum salvatorem, redemptorem conspexerunt. O utinam, & nos Christus in tremendo judicii die descendens de lymbo terræ ad æterna illa habitacula secum aduceret.

§. 60.

Inter. Quando Christus a mortuis resurrexit?

R. Christus tertia die sua virtute immortalis & gloriosus, tanquam victor mortis & Diaboli resurrexit.

Postquam Christus Dominus sexta feria seu die veneris, hora diei nona in cruce spiritum emisit, eadem die vespere sepultus est ab ejus discipulis, qui Pilati præ-

fidis

fidis permiffu corpus Domini cruce de-
 positum in propinqui horti monumentum no-
 vum intulerunt: tertio a morte die, qui
 fuit dominicus fummo mane illius anima
 corpori iterum conjuncta est, atque ita is
 qui triduum illud mortuus fuerat, ad vi-
 tam, ex qua moriens discefferat, rediit &
 refurrexit Cath. Rom. tertia die Christum
 a mortuis surrexiffe ipse de fe Math. c. 12.
 v. 40. testatur: *sicut enim fuit Jonas in
 ventre cete, tribus diebus & tribus no-
 ctibus, sic erit filius hominis in corde
 terræ tribus diebus & tribus noctibus;*
 & Apostolus I Corinth. c. 15. v. 3. *quo-
 niam Christus mortuus est, v. 4. & quia
 resurrexit tertia die secundum scripturas.*
 Non hic tres integræ dies & noctes acci-
 pi debent, die veneris enim circa vespe-
 rum sepultus est, die Sabathi integro in
 sepulchro jacebat, & mane die dominica
 resurrexit, veriffimum itaque est tertia
 die a mortuis Christum resurrexiffe.

Christus etiam non aliena, sed propria
 virtute resurrexit; hoc Divinitati, quæ nun-
 quam a corpore, & anima separari potuit
 proprium erat, ideo Christus Joan. c. 2.
 v. 19. ait, *solvite templum hoc, quod di-
 cebat de templo corporis sui, & in tri-
 bus diebus excitabo illud, & Joan. c. 10.
 v. 18. Ego ponam animam meam, ut ite-*

rum summam eam, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, quæ omnia clare demonstrant, propria virtute & vi Christum a mortuis resurrexisse.

Immortalis & gloriosus tanquam Victor mortis & diaboli Christus resurrexit; frustra custodiebant Judæi sepulchrum, ne auferatur: non amplius agnus innocens & humilis ducitur ad victimam, perfecit opus redemptionis, & ideo glorioso & in æternum immortali corpore e sepulchro resurgit. Mors & Diabolus regnavit, sed nunc alius surrexit dominator Cœli & terræ, qui mortem & inferni potestatem destruxit, ideo Paulus ad Rom. c. 6. v. 4. *quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus - - scientes, quod Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.* Sicut passio & mors Christi causa fuit remissionis culpæ, sic resurrectio gloriosa & immortalitas causa est sanctificationis nostræ.

§. 61.

Inter. Cur Jesus resurrexit a mortuis?
R. imo. Ut adimplerentur, quæ dicta sunt per Prophetas & scripturas.

De Christo a mortuis resurgente Jonæ c. 2. v. 1. scriptum est, & Christus ipse Marci c. 9. v. 30. dicebat illis; *quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget.*

2do. Ut veritas doctrinæ & divinitas omnibus palam fieret, quis enim de veritate doctrinæ Christi, & simul cum illo conjunctæ divinitatis mysterio dubitare posset, cum viderit illum gloriose devicto mortis aculeo a mortuis surrexisse, quod solum in Dei potestate & virtute situm est?

3tio. Ut spem nostram confirmet, & de futura resurrectione nostra nos edoceret, cum enim Christus resurrexit, certo speramus, fore, ut & nos aliquando resurgamus, cum membra Christi simus, si enim corpus resurgit, resurgent & membra; hanc firmam spem Job. c. 19. v. 25. habuit dicens, *scio, quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea & in carne mea videbo Deum meum,* & Apostolus ad Philipp. c. 3. v. 20. *salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

4to. Decuit, ut Christus a mortuis resurgeret, cum enim ignominiosissimam sufferet mortem, ad gloriosissimum apicem se ipsum extollere oportuit, *humiliavit semetipsum, propterea Deus exaltavit illum*, Apostolus ad Philipp. c. 2. v. 8.

5. Resurrexit Christus a mortuis, ut salutis & redemptionis nostræ mysterium abolveret. Christus enim morte sua nos a peccatis liberavit, resurgens vero præcipua nobis bona restituit, quæ peccando amiseramus: Apostolus ad Rom. c. 4. v. 25. *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.*

Cum resurrectio gloriosa salvatoris nostri Jesu Christi spiritualis ac corporalis nostræ sit resurrectionis fundamentum, mysterii hujus ac summi beneficii nos semper memores esse oportet; resurreximus cum Christo a morte ad vitam, caveamus ne iterum moriamur per peccata nostra, admonet nos Apostolus ad Colosensês c. 3. v. 1. *si consurrexistis cum Christo, quæ sursum querite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*: admonitionem hanc, si secuti fuerimus, certa spe firmemur, nos in illo die gloriosos corporibus ad claritatem Christi reformatis a mortuis

resurrecturos, & cum Christo æternam
regnatos.

§. 62.

De sexto fidei articulo.

Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram
Dei Patris omnipotentis.

Inter. Quando Christus in cœlum ascen-
dit ?

R. Christus quadraginta post resurrectio-
nem dies in cœlum ascendit.

Postquam Christus, ut supra dictum est,
a mortuis surrexisset, per quadraginta
dies, act. c. 1. v. 3. *comoratus est in ter-
ra, ubi multis argumentis divinitatem
suam monstravit, Joan. c. 21. in littore
maris, ubi tantam copiam piscium trahe-
bant Apostoli; dedit Apostolis potestatem
docendi & baptizandi, Math. ult. postea
act. 1. v. 9. videntibus illis elevatus est,
& nubes suscepit eum ab oculis eorum;*
ascendit propria virtute, quemadmodum
resurrexit plaudentibus, & lætantibus An-
gelis gloriosissimo utique corpore a Patre
suo cœlesti clarificatus. Ascendit in cœlum
Christus victoriam Martyrii sanctissimas
cicatrices secum ferens; de gloriosa hac
ascensione Psal. 56. v. 6. *exaltare super
cœlos Deus, & super omnem terram glo-
ria*

ria tua; ascendit, ut immortalitatis suæ habitaculum incoheret: ascendit, ut regnum suum desuper & non in terra esse ostenderet; ascendit, ut primus nobis viam ad cœlum aperiret, nobisque eandem monstraret; quis nostrum ergo esset tam cœcus, & plane derelictus, qui non illuc venire toto corde flagraret, quo Christus ascendit; quis non omnibus viribus totum se cœlo dicare & ad Deum convertere contenderet, ut aliquando ibi æternum gauderet, ubi Christus habitat.

§. 63.

Inter. Quid hoc, Christus sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis?

R. Christum ad dexteram sedere, est eundem stabilem summæ potestatis ac gloriæ habere in cœlo & in terra possessionem.

Quoniam ut Cath. Rom. in humanis rebus ei majorem honore mtribui existimamus, qui ad dexteram collocatus est; idem ad cœlestia etiam transferentes, ad explicandam Christi gloriam, quam ut homo præcæteris omnibus adeptus est, eum in Patris dextera esse confitemur, sicut & verbum sedere tantum stabilem gloriæ & potestatis possessionem significat; non enim Pater dexteram habet, nec sunt sedilia in cœlo, sed hæc ad humanam dicta sunt intelligentiam. De hac potestate ipse Christus

locutus Math. ult. v. 18. *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* & Apost. ad Ephes. c. 1. v. 20. *suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatem, quæ utpote de Christo homine intelligenda sunt, ut Deus enim ab æterno patri æqualis fuit.*

Gloriosa hæc Christi ascensio summæ sit nobis consolationis & gaudii; en habes Christiane; qui in cœlis pro te interpellat in omnibus corporalibus & spiritualibus necessitatibus, Christus in cœlis sedet ad dexteram Patris; *sed & si quis peccaverit Joan. Epist. 1. c. 2. v. 1. advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum: ipse est propitiatio pro peccatis nostris; & rursum Paulus Epist. ad Hebr. c. 4. v. 14. habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei --- adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur in auxilio opportuno; non solum in terra mortuus est pro nobis, sed & in gloria Patris est spes nostra.*

 De septimo fidei articulo.

Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

§. 64.

Inter. Quando iterum venturus est Christus?

R. Christus in novissimo die de cælo iterum venturus est.

Binus præcipue Christi adventus in sacris commemoratur litteris, primus fuit, cum pro nostra salute in hunc mundum nasci voluit; alter, dum in extremo judicio venturus est universum judicare mundum, de quo Christus ipse Math. c. 25. v. 31. *cum venerit filius hominis in Majestate sua, & omnes Angeli cum eo --- & congregabuntur ante eum omnes gentes;* sicut binus est Christi adventus, sic etiam judicium in particulare & generale dividitur; particulare unusquisque statim post mortem subit, de omnibus cogitationibus, verbis & factis rationem strictissimam reddens, sive male aut bene egerit, de quo Apost. ad Hæbr. c. 9. v. 27. *statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium;* ad generale autem, omnes simul una die in uno loco induti iterum carne ante tribunal convocabimur: *de illa autem die*

die & hora nemo scit Math. c. 24. v. 36.
 etsi signa præcesserint, bella, pestilentia,
 fames & persecutiones, prædicatio per uni-
 versum orbem discessio, Antechristus:
ita veniet dies domini, sicut fur in nocte;
 Apost. 1. ad Thess. c. 5. v. 2.

§. 65.

Inter. Quare Christus iterum in novissi-
 mo die venturus est?

R. Christus venturus est ad iudicandum
 omnes vivos & mortuos.

Christum constitutum esse a Patre iudi-
 cem in actis Apostolorum c. 10. v. 42.
 clare legitur, *& præcepit nobis prædicare
 populo & testificari; quia ipse est, qui
 constitutus est a Deo iudex vivorum &
 mortuorum.* Vivorum nomine iusti &
 electi, mortuorum autem reprobis intelli-
 guntur. Cur autem omnes secundum etiam
 iudicium subire oporteat, rationes sunt se-
 quentes.

- (a) Ut iudicium Domini rectum toti mun-
 do manifestetur, & omnis creatura ius-
 titiam ejus agnoscat.
- (b) Cum reprobis sæpius in hoc mundo lau-
 dentur, & hypocriti tegantur, eorum
 fraus toti mundo pateat: *& erunt post
 hæc decedentes sine honore & in contu-
 me-*

melia inter mortuos in perpetuum Sap. c. 4. v. 19. aut cum sæpius innocentia & pietas supprimatur in hoc sæculo, coram toto mundo illius in terris occulta, aut spreta sanctitas tanquam stella fulgeat: illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium 1. ad Corinth. 4. c. v. 5.

(c) Ut, sicut anima & corpore siue bonum siue malum fecerit homo jam corpore etiam suo æternum gaudeat, aut crucietur, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum* 2. Cor. c. 5. v. 10.

(d) Ideo ultimo venturus prædicatur Christus iudicaturus, ut metu illius terribilissimæ diei peccatores convertantur, iustique consolentur.

§. 66.

Inter. Quomodo Christus in novissimo die est iudicaturus?

Christus bonos & malos iudicabit; bonos mitet in vitam æternam: malos autem in ignem æternum.

Duo erunt tunc iudicandorum ordines, electi a dextris, reprobi a sinistris; o in quanta exultatione tunc non erunt iusti, sancti, pœnitentes; suavissima & beatissima

voce dicet æternus iudex sententiam: *venite benedicti patris mei, possidete regnum, quod paratum est vobis a constitutione mundi.* Math. c. 25. v. 34 *venite benedicti, quia mandata mea servastis, peccatum fugistis; venite; quia dilexistis & ego vos in æternum diligam; venite omnes Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines & Viduæ, en paratum vobis regnum: venite & vos pœnitentes fuistis quidem aliquando ira Dei, sed contritio, dolor, emandatio, & pœnitentia vestra fecit vos filios gratiæ, & æternæ gloriæ; venite vos omnes qui misericordes fuistis, en consequimini misericordiam, & lætamini in conspectu Dei in æternum; o utinam & nobis daretur hanc aliquando audire sententiam.*

Longe alia erit tunc temporis in reprobos iudicis sententia, *judicium enim sine misericordia illi* Jac. c. 2. v. 13. quis damnatorum poterit vocem in maiestate & ira tonantis Domini auribus sustinere, aut furorem oculis conspicere, dum audiet, *discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus* Math. c. 25. v. 41. in illo die peccatores numerum, gravitatem, obscœnitatem delictorum suorum tanquam in speculo videbunt; propria illos tunc condemna-
bit conscientia ad æternam confusionem:

arguam te, & statuum contra te faciem tuam Psal. 49. v. 21. tui ipsius eris tunc iudex, omnia elementa contra te pugnabunt, *pugnabit orbis terrarum contra insensatos*, Sap. 5. v. 21. ibi videbis sole clariorem acediam in divino servitio, superbiam, invidiam, avaritiam, incontinentiam, iram, immisericordiam, qua te solum extolleras, pauperes autem depresseras: ibi videbis injustitias & fallacias, furta, ebritates: ibi videbis millenas inspirationes, admonitiones, Catecheses, quibus aures obdurasti: omnia hæc tunc te miserrime peccator condemnabunt, sine omni misericordia discedes in æternum a Deo tuo, quem nunquam es visurus, & ibis, quo? in infernum, ex quo nulla redemptio, æternas ibi pœnas luiturus. Memorare, memorare sæpius novissima Christiane, ut dum Christus venturus est judicare; non inter reprobos, sed electos inveniaris.

De octavo fidei articulo.

Credo in spiritum sanctum.

§. 67.

Inter. Quænam divina persona est spiritus sanctus?

R. Spiritus sanctus est tertia persona, verus Deus.

Actum

Actum est per decursum de duabus Personis Patre & filio, nunc de tertia sanctissimæ Trinitatis persona spiritu sancto agemus; fidem in eandem omnibus Christianis esse ad salutem necessariam clarissimis demonstratur sacrarum litterarum testimoniis; Gen. c. 1. v. 2. *spiritus Dei ferebatur super aquas*, Math. c. 28. v. 19. Christus ait: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & spiritus sancti*; & 1. Joan. c. 5. v. 7. *tres sunt; qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*; eandem autem Divinam personam esse verum Deum, jam ex superioribus clare patet & act. c. 5. v. 3: Petrus Ananiam exprobrans confirmat, *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te spiritui sancto, non es mentitus hominibus, sed Deo*; Spiritus sanctus Patri & filio æternus, & æqualis est utpote Deus, eundem tamen a Patre & filio procedere fide tenendum est; Joan. c. 15. v. 26. Christus ait: *cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a patre, spiritum veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*; en a Patre processionem, & Joan. c. 16. v. 14. de spiritu sancto loquens, *quia de meo accipiet. c. 20. v. 22. insuflavit, & dixit eis, accipite spiritum sanctum*, quid enim
ali.

aliter verba de me accipere, spiritum sanctum insuflare intelligi possunt, quam tertiam personam Divinam etiam a filio procedere.

Spiritus est purissimus, cur tamen nobis ut columba, ignis, lingua repræsentatur? Ideo, quia dum baptizaretur Christus a Joanne in Jordanis flumine, visus est spiritus sanctus sub columba specie: idem spiritus Apostolis tempore Pentecostes, qua lingue infedit; non autem ideo quid corporeum est, sed signa erant missionis, operationis & donorum distributionis; columba enim lenis, innocens, benigna & suavis est; ignis autem ubique penetrat, & vehementia obruit; non ergo spiritum sanctum veram columbam, aut flamam ignis esse credendum est.

§. 68.

Inter. Ubi sanctificat nos spiritus s.?

R. Spiritus s. nos sanctificat.

1mo. In sacro Baptismate.

2do. In sacramento Pœnitentiæ.

3tio. Quotiescumque alia digne percipimus sacramenta.

Sicut Pater nos creavit & filius redemit, sic spiritus s. nos sanctificavit, & adhuc semper sanctificat, quotiescumque digne sacramen-

amenta percipimus; quid enim nobis juvaret creatio & redemptio sola, nisi gratia sanctificante adjuvaremur in statu & via salutis permanendi, aut peccata poenitendi, ideo Conc. Trid. Sess. 7. c. 7. damnat omnes, qui sanctificationem spiritus s. non admittunt, *si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper, & omnibus quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ex parte suscipiant, sed aliquando & aliquibus; Anathema sit;* de hac sanctificatione autem inferius, dum de sacramentis & eorum gratia, & efficacia loquemur, fusius differemus.

§. 69.

Inter. Quomodo spiritus sanctus nos sanctificat?

R. Spiritus sanctus nos sanctificat per infusionem gratiæ sanctificantis, qua nos Dei filios constituit, aut dum gratiam in nobis adauget.

Sanctificatos nos esse per spiritum sanctum Apostolus Epist. ad Rom. c. 5. v. 5. ostendit, *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis,* & ad Eph. c. 1. v. 13. *signati estis spiritu promissionis sanctæ, qui est pignus hæreditatis nostræ;* infundit spiritus sanctus gratiam in Baptismate,
&

& sacramento pœnitentiæ faciens nos ex filiis damnationis, filios salutis; adauget autem in aliis sacramentis gratiæ virtutem, ut eo fortiores tentationibus resistamus, & ferventius cum augmento gratiæ Deo seruiamus.

Per sanctificationem hanc Spiritus S. interna personali sua substantia nos inhabitat, dicit enim Christus Joan. c. 14. v. 16. *alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum; apud vos manebit, & in vobis erit.* Unde Christus dicere potuisset Apostolis Joan. c. 20. v. 22. *insufflavit & dixit eis, accipite Spiritum S.* nisi vere illos possideret unde Apostolus I. Cor. c. 6. v. 19. dixit: *an nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus S., qui in vobis est, quem habetis a Deo;* itaque vere in cordibus nostris non solum virtute, sed substantia inhabitat; recogita anima iusta, cujus sis habitaculum terciæ Divinitatis personæ Spiritus S.

§. 70.

Inter. Quid adhuc Spiritus S. sua gratia in nobis operatur?

R. Spiritus S. illuminat nostrum intellectum, nos docet & movet Dei voluntati nostram confirmando, dona sua nobis elargitur.

In-

Inhabitantem autem in nobis Spiritum S. illuminare intellectum & voluntatem nostram indubium est, quid enim in nobis operaretur? de hac Spiritus S. illuminatione Joan. c. 1. v. 9. legimus: *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*; & c. 14. v. 26. *Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia*; quid enim aliud doctrina & suggestio esse potest, quam illuminatio, qua duce mandata Dei servare, & eundem diligere valeamus, de hoc spiritu Propheta Ezech. c. 3. v. 26. ait: *dabo vobis spiritum novum in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis*; insuper autem adhuc nobis dona sua distribuit, ut seq.

§. 71.

Inter. Quænam sunt dona Spiritus S. ?

R. Dona Spiritus S. sunt sequentia.

1. Donum sapientiæ. 2. intellectus. 3. consilii. 4. fortitudinis. 5. scientiæ. 6. pietatis. 7. timoris Domini. De quibus meminit Apostolus I. Cor. c. 12. Divisiones has gratiæ & dona Spiritus S. dum de justitia christiana tractabimus, clarius dilucidaturi sumus.

Uc.

Ut autem digni efficiamur Spiritum S. habere in nobis, nunc & usque ad horam exitus nostri, necesse est, conscientiam nostram expiare; necessaria est humilitas, puritas mentis & corporis, oratio continua, fides, spes, viva charitas. Filios nos esse pacis & tranquillitatis oportet, si volumus, ut pax super nos veniat & in nobis remaneat. Te adoramus & confitemur sanctissime Spiritus unus Deus.

De nono fidei articulo.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, communionem sanctorum.

§. 72.

DE ECCLESIA.

Inter. Quid est sancta Catholica Ecclesia?

R. Ecclesia sancta Catholica est congregatio fidelium visibilis sub visibili capite Romano Pontifice adunnata, & eorundem communionem sacramentorum colligata.

Ex definitione data patet nomine Ecclesie non intelligi ædificium materiale, seu templum, in quo fideles conveniunt, sed collectionem omnium sub suis legitimis pastoribus degentium, unitatemque fidei profitentium, ex quibus liquet infideles, paganos, hæreticos, schismaticos necessario
ex-

excludi ab hoc cœtu ob diversam fidei professionem.

Dividitur cœtus hicce fidelium in duas partes, fideles, qui de mundo & carne jam triumpharunt, & visione beatifica fruuntur, nempe sancti Dei in cœlis, ad cœtum seu Ecclesiam jam *triumphantem*: fideles autem qui adhuc in terris degunt; & vitam æternam mereri debent, ad cœtum, seu Ecclesiam *militantem*, quasi adhuc militantes, pertinent. Visibilis autem Ecclesia dicitur, ideo quia cœtum fidelium legitimo pastori adunatum, & eorundem sacramentorum communione in ejusdem religionis professione conjunctum videmus. Visibilem esse Ecclesiam nostram, Christus Math. c. 5. v. 13. & seq. demonstrat, Apostolos admonens, *vos estis sal terræ, vos estis lux mundi, non potest civitas abscondi supra montem posita - - lucernam ponunt super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt*; quomodo sal universam terram condiat, & lux in mundo luceat? nisi sit visibilis, cur in monte civitas Ecclesia nempe? cur lucerna super candelabrum, quam ut videatur, Ecclesia igitur nostra visibilis est.

Dicitur porro sub visibili capite Romano Pontifice: Pontifex est supremus Christi in terris Vicarius, qui non humanæ est inven-

ventionis, sed ex Christi fundatione en
 Math. c. 16. v. 18. Christus ipse: & ego
 dico tibi, quia tu es Petrus & super
 hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,
 & portæ inferi non prævalebunt adver-
 sus eam, & tibi dabo claves regni cælo-
 rum, & quodcumque ligaveris super ter-
 ram erit ligatum & in cælis, & quod-
 cumque solveris super terram, erit solu-
 tum & in cælis; & Joannis c. 21. v. 13.
 postquam Christus ter interrogaret Petrum,
 anne eundem plus omnibus diligit & re-
 spondisset: *tu scis, quia amo te*; fecit
 eum pastorem supremum, dicens, *pasce*
agnos meos; & iterum v. 16. *pasce agnos*
meos, sub quibus episcopi & sacerdotes in-
 telliguntur; iterum v. 17. *pasce oves meas*,
 qui sunt ceteri fideles; una est petra, unus
 est, cui commissi sunt principaliter pascen-
 di agni & oves; de hoc S. Cyprianus ait,
 lib. de simpl. *super unum ædificat Eccle-*
siam, & quamvis Apostolis omnibus post
resurrectionem suam parem potestatem
tribuat & dicat; Joan; 20. v. 21. *sicut*
misit me Pater, & ego mitto vos, acci-
pite Spiritum S. tamen, ut unitatem ma-
nifestaret, unam Cathedram constituit.
 Quod relictis aliorum Ss. Patrum testimo-
 niis S. Hieronym. in Epist. ad Damasum
 profitetur: *ego communiōne Petri cathedræ*
associor super illam Petram ædificatam
 Ec-

Ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. - Ego interim clamito, si quis Cathedrae Petri jungitur, meus est; Petrum igitur tanquam visibile caput in terris supra Ecclesiam constituit Christus, cujus successores sunt Romani Pontifices legitime succedentes; dicuntur autem Romani, quia ibi summi Pontifices resident, ex quo etiam Romana appellatur Ecclesia.

Huic visibili capiti succedunt in vices Apostolorum Episcopi, de quibus act. c. 20. v. 28. *attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S, posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; per quod jure Divino praecipitur, ut quivis Episcopus suas oves pascat & regat. His jure Divino succedunt alii pastores, seu quos vocamus Parochos, qui iterum oves sibi concreditas, verbo, exemplo & administratione sacramentorum pascere tenentur, de quibus Luc. c. 10. v. 1. designavit Dominus, & alios septuaginta duos & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum; & Apostolus ad Ephes. c. 4. v. 11. Deus dedit quosdam quidem Apostolos - - alios autem Pastores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii.*

Ecclesiam pariter eorundem sacramentorum comunione debere esse colligatam in-

ferius patebit, dum de unitate Ecclesiæ sermo fiet: unam enim sacramentorum communionem in unica Ecclesia, extra quam salus non datur consistere posse, ratione sola concluditur.

§. 73.

Inter. Anne existit etiam invisibile caput Ecclesiæ?

R. Invisibile caput Ecclesiæ est Christus

Cum neque Pontifex, neque Episcopi & pastores ex se Ecclesiam custodire, & regere possent, nisi desuper assistentiam haberent, necesse est aliud adhuc esse debere majus horum omnium caput Ecclesiæ, qui Christus est. Hic supremus pastor est, qui suam Ecclesiæ dedit potestatem; hic erit usque ad consumationem nobiscum, ejus virtute & regno portæ inferi nunquam adversus sanctam prævalebunt Ecclesiam. Hic invisibili gratiæ administratione eandem dirigit. Invisibile autem caput dicitur, quia ejus regimen oculis non cernitur.

§. 74.

Inter. Dantur plures, quam una vera Ecclesia?

R. Unica vera Ecclesia est, extra quam salus obtineri non potest.

Ec-

Ecclesiam fundavit Christus visibilem, quam certa norma, doctrina & virtute instruxit, ut cuiusvis via æternæ felicitatis pateat; prævidit enim multos venire lupos, & pseudopphetas dilatantes doctrinas suas & blasphemantes doctrinam ejus; ut igitur Ecclesia vera unica, ab aliis erroneis discernatur, eidem certas attribuit proprietates ut sequuntur.

§. 75.

Inter. Quænam sunt proprietates, seu indicia veræ Christi Ecclesiæ?

R. Proprietates, seu indicia veræ Christi Ecclesiæ sunt.

1. Quod sit una. 2. sancta. 3. catholica. 4. apostolica. Unicus fundator Ecclesiæ est Christus salvator noster, qui *unicam* & immutabilem semper tradidit doctrinam, quæ in essentialibus ad fidem & mores spectantibus nunquam mutari poterit, unica igitur est immutabilis, vera Ecclesia. Plures sunt impossibiles, sibi enim necessario contradicerent; probatur ultro scripturæ textibus; Christus Joannis c. 10. v. 1. ait: *amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, fur est & latro; non dixit ostia, non ovilia, sed ostium & ovile, nempe significans Ecclesiam, in qua si quis non fue-*
 f 2 rit,

erit, fur & latro extraneus est; & Apostolus ad Ephes. c. 4. v. 3. *soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma,*

2. *Sancta.* Cum fundator Jesus Christus Deus homo sit sanctissimus, necessario etiam a se fundata Ecclesia sancta esse debet, & Divinis conformis perfectionibus; ideo Paulus ad Ephes. loquens de Ecclesia c. 5. v. 25. ait, *se ipsum tradidit (Christus) pro ea, ut ipsum sanctificaret - - ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, sed ut sit sancta & imaculata.*

3. *Catholica*, seu universalis Ecclesia est; toto enim orbe terrarum diffusa. Christus misit Apostolos suos in universum orbem, non in unam alteramve regionem, Math. ult. v. 19. *euntes, docete omnes gentes,* & Psal. 18. *in omnem terram exivit sonus eorum,* & in fines orbis terræ verba eorum; & Apostolus ad Colos. c. 3. v. 11. *Gentilis & Judæus, Barbarus & Scyta, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus;* ex quibus patet ubique divulgatum fuisse Christi Evangelium, ideoque Ecclesiam nostram esse universalem, quod aliis Ecclesiis competere non potest,
cum

eum harum Sectæ in una alterave provin-
cia tantum inductæ sint; est porro univer-
salis, quia ab Adam usque ad extremum
fides Christum Jesum est necessaria, in
quam ab initio usque huc unanimiter con-
senserunt fideles, extra quam nulla salus.

4. *Apostolica.* Ecclesia a Christo fundata
ab Apostolis & eorum successoribus Epi-
scopis simul fuit usque in diem hanc, aut
scriptotenus, ut per Evangelia, actus
Apostolorum, Epistolas, aut verbo tenus
prædicando per universum orbem Dei, ve-
ramque Christi religionem propagata, ita-
que Apostolica est, qua propter etiam alias
Ecclesias ut falsas rejicimus, quia huic
Apostolica mirabiliter continuatæ semper
doctrinæ adversantur, de hac proprietate
loquitur Apostolus ad Ephes. c. 2. v. 19.
*estis cives sanctorum & domestici Dei
superædificati super fundamentum Apo-
stolorum & Prophetarum ipso summo an-
gulari lapide Jesu Christo; est igitur
Ecclesia nostra apostolica.*

Ex his quatuor Ecclesiæ proprietatibus
necessario sequitur eandem esse etiam in
decidendis fidei, & morum regulis infali-
bilem, suffulta ipso angulari lapide Jesu
Christo, qui via, ac veritas est; idcirco
de hac inter omnes præminentia scripturæ
pluribus in locis loquuntur; sufficit autem
unum

unum, alterumque testimonium Math. c. 16. v. 18. infalibilitatem ipse Christus promittit dicens, *super petram œdificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, & Joan. c. 14. v. 16. *aliud paracletum dabo vobis, ut maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis*, Math. ult. 20. *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi*; quam autem infalibilitatem non universo cœtui fidelium promisit Christus, sed rectoribus ac Pastoribus Ecclesiæ simul congregatis, & consentientibus, ut patet Epist. ad Ephes. c. 4. v. 11. *& ipse dedit quosdam Apostolos. Prophetas, Evangelistas, Pastores, Doctores, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*; est igitur Ecclesia nostra Spiritus S. virtute una sancta, catholica, apostolica & infalibilis.

§. 76.

Inter. Quomodo nominatur adhuc vera Ecclesia?

R. Romana, quia Romæ caput est omnium Ecclesiarum, & centrum unitatis.

Jam enim Petrus Apostolorum princeps Romæ primus sedit, ubi etiam Martyrio glorioso coronatus est; cum igitur caput Ecclesiæ ibi primam habuerit sedem, quæ
per

per successores suos paucis exceptis fuit continuata, Ecclesiam Romanam appellamus.

Non solum firmiter credendum nobis est in sanctam Romanam Ecclesiam, catholicam & apostolicam, sed etiam incessabiles gratiæ Fundatori nostro Jesu Christo dicendæ, qui nos prætermittis tot millenis, & millenis ad eandem vocare dignatus est.

De Communione Sanctorum.

Inter. Qualem habent fideles inter se communionem?

R. Fideles inter se communionem habent, sicut membra in corpus.

Sicut enim membra, manus, pedes, oculi, aures &c. non per se solæ agunt, sed operatio & sensus earum ad comodum, & utilitatem totius simul corporis sunt, & corpus quod sentit, ob unionem etiam membris communicat, quia una in eis vita est; sic etiam communitio in Ecclesia intelligenda est, fideles membra sunt, Ecclesia corpus, quidquid agit membrum, seu fidelis sentit corpus, & quidquid corpus, seu Ecclesia sentit membrum, quia in uno sanctissimo Spiritu vivit, qui dona sua toti corpori, nempe Ecclesiæ communicat. De hac communitio aperte loquitur Apostolus ad cor. I. c. 12. v. 25. *pro invicem*
so-

solicita sint membra, & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra - - vos estis corpus Christi, & membra de membro.

§. 78.

Inter. In quo consistit communio Sanctorum.

R. In hoc communio Sanctorum consistit, quod omnia membra Ecclesiæ de bonis spiritualibus participant.

Data per responsionem communionis sanctorum definitione, sciendum est, quænam præcipue hæc bona spiritualia sint: communicantur itaque fidelibus omnia infinita Christi merita, passio, mors, sacramenta, sacrosanctum Missæ sacrificium, de quibus Joan. Epist. I. c. I. v. 3. *ut & vos societatem habeatis nobiscum & societas nostra sit cum patre & filio ejus Jesu Christo; communicantur nobis dona Spiritus S. & gratiæ gratis datæ, scientia, prophetia, consilium; communicantur suffragia, preces, elemosinæ, jejunia, bona opera, merita fidelium. Caritas, qua per Spiritum S. in unum colligati sumus talis est, ut quod a nobis pie, sancteque geritur, ad omnes pertineat, quapropter*
Psal.

Pfal. 118. v. 63. *particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*; communicantur, quæque Ecclesia in thesauro a Christo tradito possidet, ut indulgentiæ benedictiones, & hujusmodi.

Communio hujus sanctorum quotidianum præ oculis habemus argumentum, dum dominicam orationem dicimus, non enim nos docuit orare Christus, Pater meus, panem meum, dimitte mihi, libera me, sed Pater noster, panem nostrum, dimitte nobis, libera nos; voluit ut unius corporis membra, quæcumque necessaria corpori aut animæ nostræ sint, communiter a patre cœlesti flagitemus & postulemus.

§. 79.

Inter. Quænam sunt membra, quæ communionem inter se habent?

- R. 1. Christiani fideles in terris.
 2. Sancti in cœlo.
 3. Animæ defunctorum in purgatorio detentæ.

Ad 1^{um}. Fideles inter se communionem habent, cum preces, meritaque eorum ad invicem participant; quod tu facis boni, ego participo, & quod ego, tu participas; sic oratio mea & bona opera expediunt fidelibus, qui sunt Romæ, qui
 Vien.

Viennæ, etsi eosdem nec noscam; ex quibus patet nefarium esse, si quis oratione sua quemdam excludere vellet, etsi jam per se oratio nihil valeret, & peccaminosa esset.

Ad 2dum. Communionem habemus cum Sanctis & amicis Dei, nos enim illos colimus & veneramur, & pro auxilio flagitamus, illi autem pro nobis Deum orant.

Ad 3tium. Fideles communionem habent cum defunctis in purgatorio quatenus orationibus, jejuniis, elemosinis, aliisque bonis operibus, præsertim Ss. Missæ sacrificio succurrunt, ut pœna ipsorum mitior brevior fiat, aut plane remittatur.

Ex quibus patet Paganos, Judæos, Hæreticos, Schismaticos plane non posse fieri participes, cum sint extra Ecclesiam veram & unicam: fidelibus autem sceleratis, & a Dei gratia alienatis, qui sunt membra mortua Ecclesiæ, ab ea non excluduntur, & eatenus adjuvantur per communionem Sanctorum, ut remissionem peccatorum & gratiam recuperent, per se autem nihil boni pro communionem operari possunt, cum ex gratia Dei exciderunt, de quo clare ait Christus Joan. c. 15. v. 4. *sicut enim palmes a semetipso fructum ferre non potest, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.*

§. 80.

Inter. Qualem inter se habent membra Ecclesiæ communionem?

R. Hanc, quod orationes & bona opera ad invicem participant.

Jam superiori §. de hac communionem actum est, ubi explicabatur, quinam sint inter se communicantes; quinam in totum, aut in partem hoc thesauro priventur, inutile non erit hoc loco discutere, anne fideles omnes æqualiter de communionem hac participant.

Notandum est communionem hanc donum Dei esse, adeoque in Dei liberalitate situm, prout distribuere placet: non quivis æqualiter, sed pro fidei mensura communionem participat, etsi certum sit eos, qui pietate & bonis operibus plus conferunt, eos etiam pluris participare *omni habenti dabitur & abundabit.* Math. c. 25. v. 29. sic etiam fidelis pius orat pro proximo suo, qui peccato gravi affectus est, oratio hæc non illi in abundantia hac communicatur, sicut, si in gratia Dei esset: sed tamen juvat illum ad pœnitentiam, aut Deus orationem plane alii communicat. Sic pro defuncto oramus, si jam est inter electos, oratio alteri applicatur, si damnatus, pariter: aut plane fieri

po-

potest, ut Deus orationem & sacrificium pro anima hac vel illa offerri non velit, & pro suo beneplacito distribuit; ille enim, etsi pro infinita sua misericordia preces justorum audiat, tamen qua Dominus, pater & iudex hujus communionis propria, quam sanctorum & nostrorum merita justissime & sanctissime elargitur.

Cum igitur per merita Christi intercessionem omnium sanctorum, suffragia, preces, piæ matris Ecclesiæ orationes, & opera fidelium omni momento diu noctuque adjuvemur, studeamus & nos per easdem Deoque placentem vitam, & opera bona, in communiōne hac permanere, & consociari, ut aliquando æterna in cœlis cum Christo fundatore nostro communiōne fruamur.

De decimo fidei articulo.

Remissionem peccatorum.

§. 81.

Inter. Quid hic articulus nos docet?

R. Articulus fidei nos docet, Christum Ecclesiæ potestatem peccata remittendi dedisse.

Peccatum dividitur in originale & actuale. *Originale* per baptismum deletur, quod

quod nemini licet conferre, nisi Ecclesiæ pastoribus & sacerdotibus extra necessitatis casum; quod Christus Math. ult. v. 19. declarat, dicens: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filii & Spiritus S.* deletur culpa, & pœna per Adamum parentem nostrum commissa, & confertur gratia, qua ex filiis iræ, filii Dei efficimur.

Actuale est, quod post baptismum propria & libera committitur voluntate, horum remittendorum dedit Christus potestatem in Ecclesia, Joan. c. 20. v. 23. *accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt;* ex quibus ultimis verbis constat Ecclesiæ etiam inesse potestatem a Christo traditam peccata remittendi, hoc est peccatores, si necessarium, aut proficuum visum fuerit, a peccatis non absolvendi.

§. 82.

Inter. Quis in vera Dei Ecclesia potestatem habet peccata remittendi?

R. In vera Ecclesia Dei Episcopi & sacerdotes remittendi peccata potestatem habent.

Notandum est, omnem remissionem peccatorum soli Deo principaliter esse adscriben-

bendam, quis enim hominum offensam Deo factam remittere poterit; *ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*, Isaia c. 45. v. 25. hanc potestatem tradidit Ecclesiae solum pastoribus & rectoribus legitimis, ut supra §. antecedenti, tanquam suis in terris Vicariis. Habent igitur in Ecclesia hanc potestatem a Christo traditam soli Episcopi & sacerdotes.

§. 83.

Inter. Ubinam remittuntur peccata?

R. Peccata in sacramento baptismi & poenitentiae remittuntur.

Merita & satisfactio salvatoris nostri Jesu Christi tantum effecerunt, ut originale, quod contraximus, per sacramentum baptismi remittatur, cum iis regnum coelorum aperiatur, qui baptizati sunt; actualia autem per sacramentum poenitentiae vere contritis remittuntur, unde praeter alia luculenta scripturae testimonia, Isaia c. 55. v. 7. *derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, quoniam multus est ad ignoscendum.*

Fide igitur tenendum est in Ecclesia Dei omnia remitti peccata. Consolare Christiane mi, & quotidie recordare hujus tam
exi-

eximii beneficii, en, cum in faucibus diaboli hæres, adhuc via est, ut erumpas, fugiasque; Christus est, qui tibi per Ecclesiam suam lubens, dummodo pœnitentiam agas, omnia delicta tua dimittit, & obliviscitur, *quoniam multus est ad dignoscendum.* Hoc agnovit David rex Psal. 50. v. 1. adeo clamans, *miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam;* sed ne præsumas de hac infinita misericordia, ne differas usque ad finem vitæ pœnitentiam tuam, ne ob impoenitentiam tuam aures suas obduret, monet te Eccl. c. 5. v. 6. *ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in Diem, subito enim venit ira illius.*

De undecimo fidei articulo,

Carnis resurrectionem.

§. 84.

Inter. Quid intelligitur per carnis resurrectionem?

R. Per carnis resurrectionem intelligitur Jesum Christum in novissimo die mortuorum corpora, quæ gesserunt in vita, excitaturum. Præter hæc quæ septimo articulo de judicio universali diximus, sciendum &

& fide tenendum est, carnem resurgere, hoc est, omnes homines, qui erant a constitutione mundi usque ad extremum diem a mortuis propriis corporibus resurrecturos. Divinæ hoc providentiæ æquissimum est, quoniam homo non solum anima, sed & corpore bonum & malum fecit, etiam corpore suo æternum gaudeat, aut luat: non enim justa videretur felicitas nec pœna, si corpus aliquando animæ, cui erat alluetum, non iterum conjungeretur.

Præterea clara desuper sunt sacrarum litterarum testimonia, Jobi c. 19. v. 25. legimus, *scio quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.* & Apostolus 1. Corinth. c. 15. v. 52. in momento, *in ictu oculi, in novissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti - - oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem;* ex quibus carnis resurrectio clarissime demonstratur. Corpora tamen contractam in hac mortali vita deformitatem non resument, sed ut S. Aug. l. 22. de civit. Dei c. 19. 20. 21. *nihil tunc vitii in corporibus existet, si aliqui plus pinguedine obsessi non totam corporis molem assument, sed quod illam ha-*
bi-

bitudinem superabit, reputabitur superfluum; & e diverso, quæcunque, vel morbus vel senium confecit in corpore, reparabitur per Christum virtute divina - non resumet homo capillos, quos habuerit, sed quos decuerit; quod de cœcitate, surditate, curvitate, omnibusque corporis miseriis est intelligendum, non enim imperfectio in cœlo inveniri potest, ubi perfectissimus est Deus. quod de improbis quoque verissime dicitur, etsi culpa eorum membra amputata fuerint; nam, quo plura membra habebunt, tanta acerbiori dolorum cruciatu afficientur; quare illa membrorum restitutio non ad eorum felicitatem, sed calamitatem ac miseriam est redundatura; nam iis, qui ea ad pœnitentiam contempserint, ad supplicium restituentur.

Sanctorum autem corpora insigniora & pulchriora ornamenta habebunt, erunt dono *impassibilitatis* decorata, nullo nempe dolore aut molestia affici poterunt; dono *claritatis*: fulgebunt *justi sicut sol*. Math. c. 10. v. 43. *transfigurati ad claritatem corporis Christi*. Apostolus Philipp. 3. v. 21. *dono agilitatis*, qua corpus ab onere, quo nunc premitur, liberabitur; *seminatur in infirmitate, surget in virtute*. Apost. 1. ad Cor. c. 15. v. 43. *dono subtilitatis*,

cujus virtute corpus animæ imperio subjicietur, eique serviet, & ad nutum præsto erit, *surget corpus spirituale.*

Conditiones resurgentium duæ erunt, ut septimo articulo; Dan. c. 12. v. 2. *qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt alii in vitam æternam & alii in opprobrium;* de his Christus Joan. c. 5. v. 29. *procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem judicii.*

Immortales Deo optimo maximo gratiæ agenda sunt, qui corpora nostra, etsi ad nihilum redacta, iterum redire & resurgere constituit, ideo, ut etiam corporibus nostris gloriæ æternæ premia conferre possit; hæc resurrectio futura excitet nos, ut ærumnas, miseriasque hujus mundi patienter perferamus, expectantes beatam resurrectionem; consideremus autem mente sæpius conditiones resurgentium, & ita vitam nostram instituamus, ut non cum maledictis in ignem æternum mittamur, sed cum benedictis æternum gaudeamus.

De duodecimo fidei articulo.

Vitam æternam.

§. 85.

Inter. Quid credendum & confitendum nobis per hunc articulum proponitur?

R. Cre-

R. Credimus & confitemur per hunc articulum perpetuam beatitudinem, quæ sanctorum desiderium penitus expleat.

Post mortalem hanc vitam sequitur vita æterna, tam pro electis, quam pro reprobis; quo loco autem non pœnæ æternitas, sed sanctorum beatitudo perpetua consideranda venit, quam binam præcipuè distinguimus in essentialem & accidentalem beatæ vitæ fruitionem.

Essentialis & perfectissima beatitudo in visione intuitiva summi boni consistit; quid enim delectabilius, quid amœnissimum creaturæ videri poterit, quam creatorem suum sine fine in sanctissima natura sua, ac substantia intueri? de qua Joan. 1. c. 3. v. 2. carissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, scimus, quoniam cum apparuerit, similis ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est; ex quo textu simul demonstratur, beatos tam felices & perfectos per Dei visionem futuros, ac si vere divinitatis participes forent. Eorum gaudium & lætitiæ per Dei visionem expleri legimus, Psalm. 16. v. 15. satiabor, cum apparuerit gloria tua, & Psal. 15. v. 11. adimplebis me lætitiæ cum vultu tuo, & Paulus 1. Cor. c. 13. v. 12. videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Dum autem Beatos Deum in natura & substantia intueri profiteamur, nullatenus eundem comprehendere dicimus; non potest enim creatura ulla Angeli & spiritus cognoscere Deum, sicut seipsum Deus cognoscit; ad hoc enim necessarium esset intellectum habere divinum, quod creaturæ repugnat; de hac incomprehensibilitate clara sunt scripturæ loca, Jeremiæ c. 32. v. 19. *magnus consilio: & incomprehensibilis cogitatu: Job. c. 11. v. 7. interrogat; forsitan vestigia Dei comprehendes & usque ad perfectum omnipotentem reperies? excelsior cælo est - - profundior inferno, & unde cognosces quod Paul. 1. ad Cor. c. 2. v. 11. confirmat, quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei. Dabitur itaque electis visio Dei, non sicut in se ipso infinitus est, sed tantum, quantum natura creata per inexplicabilem ejus largitatem capere poterit.*

Accidentalis beatæ vitæ fruitio in malorum liberatione, & bonorum possessione consistit; non erunt ibi curæ, angustia, terrores, morbi, egestates, fames, sitis, non tentationes, scelera, ira, invidia, non timor mortis; de quo clare in Apocalypsi Joan. c. 6. v. 17. non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus - - absterget Deus omnem
la-

lacrymam ab oculis eorum, & c. 21. v. 4. mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Accipe omnem simul splendorem, quo Reges ornantur & Magnates, immaginare tibi summam excellentiam & gloriam, aurum & argentum, splendidissima palatia, audi pulcherrimum instrumentorum concentum, ede & bibe, quidquid gustu amabile est, stercus sunt hæc omnia in comparatione gaudii æterni, sufficiat non Paulus 1. ad Corinth. c. 2. v. 9. oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum.

Non tamen omnes visione divina & bonorum possessione in æternis illis habitaculis æqualiter perfruentur. Sicut enim pro gravitate peccatorum damnati majori, vel minori in æternum cruciatu mulctabuntur, sic & Beati pro majoribus vel minoribus in vita meritis majori, vel minori gloria afficientur; Christus ipse Joan. c. 14. v. 2. testatur; *in domo patris mei, mansiones multæ sunt.* Cur multæ? quia varia meritorum genera, hinc & Paulus 1. ad Cor. c. 15. v. 41. ait: *alia claritas solis, alia claritas lune, & alia claritas stellarum, stella enim a stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.*

Quan-

Quantum non sudamus & laboramus pro vita temporali, quæ brevi finitur, ac si æternum in hoc mundo viveremus, pauci autem sunt, qui aliam venturam confiderent; pauci sunt, quibus visio beata Dei & bonorum cœlestium possessio placeret; si igitur paratum a patre nostro regnum post vitam hanc miseram ingredi volumus, servare mandata, omnibusque viribus, ut idem consequamur, contendere nos oportet.

§. 86.

Inter. Quid per verbum *Amen* in fine Symboli positum confirmamus?

R. Confirmamus per verbum *Amen* omnes fidei articulos in Symbolo contentos, indubios, verissimosque esse.

Vox græca est, quæ proprie *fiat* audit, qua denique, *quid*, ut tale confirmamus, ut hic in fine Symboli, aut ut, quæ petimus, *fiat*, desideramus. Quotiescumque hoc verbum pronuntiamus, fideli ac devoto animo faciendum est.

CAPUT II.

DE SPE.

ARTICULUS I.

§. 87.

Inter. Quid est spes ?

R. Spes est supernaturalis a Deo infusa virtus, qua sine hæsitacione a Deo petimus & exspectamus, quæ nobis promittit.

Spes, quæ Christianis necessario inesse debet, non naturale, sed prorsus supernaturale de cœlis specialiter descendens in nos donum est, quo habita viva fide indubitantur, & firmissime speramus, nos omnia ea consecutores, quæ Deus promittat: unde Apostolus ad Rom. c. 15. v. 13. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, ut abundetis in spe, & virtute Spiritus S.* Ex quo sequitur eum, qui hanc indubitantem spem in corde non sentit, dono hocce supernaturali non decoratum, adeoque spem suam vacillantem, & prorsus vacuum esse; cujus autem causa Deus non est, sed mala hominis voluntas, & vita gratiam a Spiritu S. oblatam respiciens confirmante testimonio S. Petri 1. Epist. c. 1. v. 13. *perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis gratiam.*

§. 88.

§. 88.

Inter. Quid speramus a Deo ?

R. Speramus a Deo vitam æternam cum mediis ad illam consequendam necessariis.

Finis creationis & redemptionis est, ut transacto hujus vitæ curriculo summo gaudio, visione beatifica Dei, bonorumque cœlestium possessione fruamur, quæ est vita æterna. Cum autem vi naturali ob fauciatam voluntatem nostram huic nec a longe accedere possemus, necesse est, ut mediis ad illam consequendam provideamur, qui enim vult finem, debet & velle media; quid igitur a Deo sperandum, quam vitam æternam, & media ad hanc consequendam necessaria, quæ sunt primario Deus ipse, secundario autem gratiæ innumeræ efficaces, sanctificantes & bona opera ex viribus gratiæ factæ, quibus ad vitam æternam vehimur, dicente Paulo ad Romanos c. 6. v. 23. *gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro; & ad Ephes. c. 4. v. 7. unicuique autem nostrum data est gratia.*

§. 89.

Inter. Cur speramus ?

R. Speramus, quia Deus omnipotens, infinite bonus, misericors, & fidelis est in promissione, quam adimplere potest & vult.

Mo-

Motivum sperandi in illo inest, qui falli nec fallere potest, cui omnia sunt possibilis, qui sine omni termino bonus, fidelis, & misericors est; quis autem ille, quam solus Deus, ad Rom. c. 3. v. 4. *est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Sap. c. 15. v. 1. *tu autem Deus noster suavis & verus es, & patiens, & misericordia disponens omnia.* Spem nostram firmissimam in solo Deo esse ponendam. Rex David nos cohortatur dicens Psal. 4. v. 6. *sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino;* & Psal. 9. v. 11. *& sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.*

§. 90.

Inter. Per quid spes christiana maxime elicitur?

R. Spes christiana maxime per orationem elicitur.

Spes consistit in affectu & desiderio aliquid, quod non habemus, obtinendi; istud desiderium erga summam majestatem divinam fieri non potest, nisi in humili mentis ad Deum elevatione, quæ est oratio; patet igitur spem christianam per orationem, de qua loqui aggredimur, elici.

AR-

ARTICULUS II.
DE ORATIONE,

§. 91.

Inter. Quid est oratio?

R. Est mentis in Deum elevatio.

Oratio est cogitatio seu locutio in Deum directa, qua interiori mentis affectu in altum ascendimus, ut Psal. 37. v. 1. *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus non est a te absconditus.*

Oratio duplex est, *interna & externa*; *interna* est, quando intellectus & voluntas nostra ad Supremi entis cultum, & honorem refertur per meditationem & rerum divinarum considerationem, amoris in Deum & rerum æternarum ardentem affectum, qui sine animi divagatione puro corde cum Deo jungendus est. De hoc Psal. 38. v. 4. *concaluit cor meum intra me, & in meditatione exardescet ignis.* Cum ad hunc internæ orationis gradum solum fide viva, charitate eximia, & humilitate deveniri possit, consequens est, orationes peccatorum & Christianorum tepescentium esse fictas & inutiles, nisi diuturna pœnitentia, mortificatione virtutum, insignium operibus conscientias suas purgent & excolant.

Ex-

Externa est, cum, quod mente gerimus, voce & signis æternis exprimimus, cum interior nempe devotio per exteriora signa & conatus manifestatur, Deo per totum, quod in nobis creavit, mente & corpore debitus honor & cultus redditur, per animi nostri affectus corpus in Deo exhilaratur; ut Psal. 15. v. 9. lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea; & insuper caro mea requiescet in spe; hæcce externa oratio iterum duplex est, publica & privata. Prior, dum Ecclesiæ ministri, & sacerdotes publicas pro populo preces offerunt, ut sacrificium, dum populus fidelis insimul ut in templo præces ad Deum fundit, de quo Christus Math. c. 21. v. 13. domus mea, domus orationis vocabitur; & Tertulianus Apologetico c. 39. coimus ad Deum, quasi manu facta, præcationibus, hæc vis Deo grata est. Posterior dum privatæ in domo, cubiculo, vel angulo præces funduntur, ut ipse Christus Math. c. 6. v. 6. docet; intra in cubiculum tuum, ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Præcipuas orationis partes Apostolus 1. ad Timoth. c. 2. v. 1. tradit dicens: *obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones*

nes pro omnibus hominibus; obsecramus, postulamus, quia indigemus; oramus, ut Deum summam Majestatem agnoscamus, gratias agimus in gratitudinis debitæ obsequium ob beneficia a Deo accepta.

§. 92.

Inter. Quare oramus?

R. Oramus, ut debitus supremo numini honor dicatur, gratiæ pro beneficiis acceptis agantur, futuræque necessitates implorentur.

Primarius orationis nostræ finis Dei honor & gloria est, præcipuus religionis nostræ actus; quomodo enim bonorum, quæ petimus, consecutionem adipisceremur, nisi eum, a quo procedunt omnia principaliter honoraremus. Authori & fonti omnium bonorum sit, ut Apostolus I. ad Timoth. c. I. v. 17. *Regi sæculorum immortalis, invisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum.*

Secundario pro beneficiis acceptis gratiæ agenda sunt, quibus quotidie abunde afficimur pro beneficio creationis, conservationis, redemptionis, sanctificationis & omnibus a spiritu sancto donis collatis, pro beneficiis temporalibus, sanitate corporis, fertilitate frugum, liberatione a quotidiana

nis

nis imminentibus malis, & hujusmodi, juxta Paulum ad Ephes. c. 5. v. 20. *gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo & Patri.*

Orandum nobis denique est, ut, cum ob miseram nostram fragilitatem nec uno momento felices sine ejus auxilio permanere possemus, futuras etiam necessitates misericorditer tribuere dignaretur; de hoc Christus ipse nos admonet Joan. c. 16. v. 24. *petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum;* tam pronus est noster amantissimus Dominus, ut vix expectet orationem, & jam concedat dicens per Isaiam Prophetam c. 65. v. 24. *antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam.*

§. 93.

Inter. Quare adhuc oramus?

R. Oramus pro remissione nostrorum peccatorum, & pro divino in communibus & privatis proximi nostri necessitatibus auxilio.

Peccatum, quod animam trucidat maximum malum est, ideo præcipue pro peccatoribus preces fundendæ sunt, *vult enim Deus, omnes homines salvos fieri,* Apostolus 1. ad Timoth. c. 2. v. 4. *Non volo mor-*

mortem impii, sed ut convertatur a via sua & vivat, Ezechiel. c. 33. v. 11. vult Deus, ut ad eum per veram ac sinceram compuncti cordis pœnitentiam revertantur; ultro pro omnibus communibus & privatis orandum est necessitatibus, ut §. superiori diximus, pro proximis nostris omnibus sine ulla exceptione, pro pastoribus, qui vobis pervigilant, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi; ad Coloss. c. 4. v. 3. pro regibus & principibus terræ & dominationibus sæcularibus, Apostolus I. ad Timoth. c. 2. v. 2. pro regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate; pro parentibus nostris & cognatis amicis & inimicis, Christus Math. c. 5. v. 44. ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros - - orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Orandum pro infidelibus, Hæreticis, ut ad finem Ecclesiæ catholicæ Dei misericordia perveniant & revertantur; pro defunctis, ut a purgatorii pœnis solvantur; pro omnibus denique juxta Paulum I. ad Timoth. c. 2. v. 1. obsecro igitur omnium fieri obsecrationes, orationes pro omnibus hominibus.

§. 94.

Inter. An orare tenemur ?

R. Utique, est enim oratio præcipuus nostræ religionis actus.

Indubitata hanc veritatem nobis demonstrat Christus Luc. c. 18. v. 1. *oportet semper orare & non deficere*, & Math. c. 7. v. 7. *petite & dabitur vobis*; sine petitione non datur, est igitur præceptum quod Paulus 1. ad Thesal. c. 5. v. 12. confirmat; *sine intermissione orate*.

Cum autem non quævis oratio ascendat ad Thronum divinæ majestatis, scire oportet, orationes nostras tam mentales quam vocales conditionibus certis debere esse mutas & quidem:

1mo. *In spiritu & veritate orare oportet: ante orationem præpara animam tuam, & noli esse, quasi homo, qui tentat Deum*, Ecclesiast. c. 18. v. 21. ideo monet nos Christus Math. c. 6. v. 8. *cum oratis, non eritis sicut hypocrytæ, qui amant in Synagogis & angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus*.

2do. Oratio debet esse *humilis*, mendicæ Dei semper fumus, maxime autem, dum ab illo quid petimus, sic enim aures benignus præbet, ut Isaïæ c. 66. v. 2.
di-

dicens: *ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu,* & Eccles. c. 35. v. 21. *oratio humiliantis se, nubes penetrabit.*

3tio. Oratio debet esse *attenta*, quocum enim tunc loquitur homo, quam cum tremenda simul & misericordissima divina majestate, in illo tota mens, & cogitatio in-hærere debet; quam multis ex nobis Dominus dicere poterit, quod Math. c. 15. v. 8. legitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

4to. *Affidua & perseverans*: oportet *semper orare & non deficere*. Oratio est mentis ad Deum elevatio, quam Christus semper nobiscum concomitari vult tota die, toto vitæ tempore, ita ut omnia nostra negotia, & opera in illum referamus, eumque desideremus; ex quibus constat non esse præceptum tota die articulariter orare, quod utique impossibile esset, etsi quotidie oratione opus sit: de hac continua oratione prouti hic intelligi debet clare Apost. 1 Cor. c. 10. v. 31. *sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

5to. *Honestæ*, non de rebus illicitis, quibus magis Deum offendimus; non ut superflua concedantur, sed tantum, quan-
tum

tum vitæ nostræ necessarium sit Prov. c. 30. v. 8. *tribue tantum victui meo necessaria;* & semper quidem adjuncta conditione, si ad majorem Dei gloriam & animarum nostrarum salutem profutura sint.

Non miremur, si sæpius non accipimus, quæ petimus, quia inhonesta, non necessaria flagitamus, quapropter Jac. c. 4. v. 3. *petitis & non accipitis eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insummatis.*

6to. Cum oratione conjuncta debet esse elemosina & jejunium, Tob. c. 12. v. 8. *bona est oratio cum jejunio & elemosina, magis quam thesauros auri recondere;* unde S. August. in Psal. 42. *vis orationem tuam volare ad Deum, fac illi duas alas, jejunium & elemosinam.*

7mo. Etsi in omni loco adorari potest Deus, tamen speciatim sibi Deus *publicum locum*, ubi fideles conveniunt selegit, jam in antiquo testamento ædificare fecit templum Salomonis, ubi cor suum præsto futurum promisit, quanto magis cor suum in templis & Ecclesiis nostris, ubi Deus homo habitat, aperiet; quanta in veneratione vellit Christus haberi templa, Math. c. 21. v. 12 & 13 legimus, ubi ementes & vendentes ejecit: *domus mea domus*

orationis vocabitur; in illo, communior & amœnior Deo oratio est.

§. 95.

Inter. Ubinam orationis nostræ complexus habetur.

R. Orationis nostræ complexus habetur in oratione Dominica, seu Pater noster.

DE ORATIONE DOMINICA.

§. 96.

Inter. Quis nos docuit orare?

R. Christus Dominus noster nos docuit orare.

Christus Dominus, ut Math. c. 6. & Luc. c. 11. legimus; præcipuas tradidit discipulis suis doctrinas inter reliqua normam præscripsit, quam servare in oratione tenemur.

§. 97.

Inter. Per quid Christus nos orare docet?

R. Christus nos orare docet per Pater noster seu orationem Dominicam.

Dicitur oratio Dominica, quia Dominus illam docuit & ad Dominum dirigitur;

antecellit omnes alias orationes, quia a Christo Domino tradita paucis verbis omnia ea continet, quæ & quomodo a Deo petenda sint, ideo non quomodocumque, *sed sic vos orabitis*, dixit Christus. Math. c. 6. v. 9.

§. 98.

Inter. Quomodo sonat Pater noster?

R. Sic: *Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum (superstantialem) da nobis hodie & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.* Math. c. 6. v. 9.

§. 99.

Inter. Ex quibus constat oratio Dominica.

R. Oratio Dominica constat ex proloquio & septem petitionibus.

In proloquio patrem adoramus; primis tribus petitionibus æterna, reliquis quatuor autem temporalia poscimus, quæ per decursum explanabuntur.

De Proloquio.

§. 100.

Inter. Quomodo sonat proloquium ?

R. Proloquium sonat, *Pater noster qui es in cœlis.*

In omni oratione & deprecatione, antequam ad petitiones accedatur, benevolentia benefactoris concilianda, quod in proloquio orationis Dominicæ fit: non timorosis, sed suavitate plenis verbis oratio hæc initiatur, quid enim dulcius nomine Patris, quo amorem, filialemque fiduciam exprimimus? ex quibus patet cordialissimo affectu orationem Dominicam nos inchoare oportere.

§. 101.

Inter. Quem his verbis invocamus ?

R. His verbis invocamus Deum, qui noster pater est.

Deum Patrem nostrum vocari prætermisissis innumeris aliis testimoniis Isaïæ c. 64. v. 8. legimus: *Et nunc Domine Pater noster es tu, nos vero lutum;* & Christus ipse Math. c. 5. v. 48. Patrem nostrum Deum vocat dicens: *estote ergo vos perfecti; sicut Et Pater vester cœlestis perfectus est.*

§. 102.

§. 102.

Inter. Quare Deum nominamus Patrem?

R. Deum nominamus Patrem ideo, quia homines ad imaginem suam creavit, eorumque paternam habet sollicitudinem.

Deum nos ex nihilo creasse ad imaginem & similitudinem suam; suo sapientissimo consilio gubernare creaturas rationales, easque ab interitu & æterna redemisse damnatione, jam aliunde superius dum de fidei Symbolo ageremus dictum est; hæc autem cui convenire poterunt quam Patri? si enim hominem terrestrem, qui nos genuit & alit, Patrem vocamus, quo magis ille supremus Dominus, qui Patres & filios alit, & sua providentia gubernat, Pater vocandus erit.

§. 103.

Inter. Quare Deum nominamus Patrem nostrum?

Deum Patrem nostrum nominamus, quia nos per Spiritum S. in baptismo hæredes, cohæredes Christi, & fratres constituit.

Specialis per verbum Patrem *nostrum* adoptio significatur, qua solum fideles gaudent, fraternitate inter se colligati per
Spi-

Spiritus S. regenerationem, quasi in una carne geniti; unde Apostolus ad Eph. c. 5. v. 30. *membra sumus corporis Christi, de carne ejus & de ossibus ejus; & ad Gall. c. 3. v. 26. omnes filii Dei estis per fidem in Christo Jesu: quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis; per verbum patrem nostrum nos fratres esse profiteamur, quod Math. c. 23. v. 9. Christus declarat, dicens: omnes enim vos fratres estis, unus est enim pater vester, qui in cœlis est.*

Et quod plus Christus fratrem nostrum sese appellat Math. c. 28. v. 10. *ite nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilœam, ibi me videbunt.* Dum itaque Christiane Pater noster pronuntias, recorderis verborum mysterii plenorum; non enim ad Dominum ita loquendo tunc oratione tua ascendis, sed ad benignissimum Patrem; accede ergo, ut filius plenus charitate in Patrem, & Christum Jesum fratrem & cohæredem nostrum.

§. 104.

Inter. Cur dicimus, qui es in cœlis?

R. Dicimus, qui es in cœlis, quia Deus, etsi ubique præsens sit, tamen in cœlis solum facie ad faciem electis sese conspiciendum præbet.

Fide edocemur Deum ubique esse præsentem, quod de seipso Deus loquitur per Jerem. c. 23. v. 24. *numquid non cælum & terram ego impleo*; in cælis tamen habitare eum dicimus, quia ibi solum magnificentiæ suæ gloriam ostendit, & in sanctis suis divina majestate & fulgore regnat, per quod simul admonemur nostram conversationem semper in cælis esse oportere juxta Apostolum ad Coloss. c. 3. v. 1. *si consurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in Dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

De primis tribus petitionibus Dominicæ orationis.

§. 105.

Inter. Quæ prima petitio?

R. Prima petitio est, *sanctificetur nomen tuum.*

Non hic Dei nomen solum considerandum est, sed quatenus Deus ipse in majestate & perfectionibus Divinis concipitur, est igitur nomen Deus, & Deus nomen quod sanctificandum est, Davide adhortante Psal. 110. v. 9, *sanctum & terribile nomen ejus.*

§. 106.

§. 106.

Inter. Cur a principio nomen Dei sanctificari petimus?

R. Ideo nomen Dei sanctificari principaliter petimus, quia ante omnia, quæ ad honorem Dei; dein primo, quæ nos & proximum attinent, sunt petenda.

Ipsa ratio naturalis & nostra religio nos docet omnes nostras cogitationes, verba & opera esse ad Deum supremum bonum dirigenda primario, si felicem sperare eventum nostrorum necessitatum velimus; ideo nos tali modo docens Christus priusquam ad temporalia bona deveniatur, nomen Domini sanctificari jubet.

§. 107.

Inter. Quid postulamus per primam orationis Dominicæ petitionem?

R. Per primam petitionem orationis Dominicæ nos postulamus.

imo. Ut omnes homines Deum agnoscant, sanctissimum nomen suum confiteantur, celebrent, laudentque.

Petimus, ut ad cœlestium civium imitationem universus orbis Deum in terra colat, diligat, laudetque & sicut Deus sanctissimus est,

est, ab omnibus hominibus sanctus habeatur; petimus illis verbis, ut omnes homines agnoscant animi & corporis bona non nobis, sed Deo summo bono esse tribuenda, ideo Psal. 113. v. 1. *non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*; petimus illis verbis, & nos ipsos cohortamur, mores nostros debere esse nomini sanctissimo conformes, peccataque, quæ sanctum hoc nomen comaculant fugienda: *sancti estote, quoniam & ego sanctus sum*. Levit. c. 11. v. 44.

2do. Ut peccatores ad Deum suum per pœnitentiam convertantur.

Sicut enim per scelera nomen sanctum Dei commaculatum est, ita per veram pœnitentiam & contritionem maculæ delentur. Oramus, ut qui primam in baptismo integritatem & innocentiam peccatis contaminaverunt, per sanctissimum nomen Domini adjuvante Dei miseratione redeant & convertantur.

3tio. Postulamus, ut nomen suum sanctissimum nunquam infidelitate, hæresi, blasphemia, aut pravis moribus contemnatur, & excretur.

Petimus, ut infideles divino lumine illustrati, dimisso cæco errore verum Deum agnoscant, ut omnes hæreses destruantur & eradicentur, ut omnes sub uno ovili

uno-

unoque pastore Jesu Christo sanctissimam
 ejus sponsam matrem catholicam, aposto-
 licam Romanam Ecclesiam venerentur; ro-
 gamus, ne sanctissimum nomen Domini
 ab infidelibus Hæreticis, vel plane Chri-
 stianis catholicis blasphemetur, aut super-
 stitionibus divinationibusque violetur: *a solis
 ortu itaque usque ad occasum laudabile
 nomen Domini.* Psal. 112. v. 3.

§. 108.

Inter. Quæ est secunda petitio?

R. *Adveniat regnum tuum.*

Post sanctificationem nominis statim de
 regno Dei petitio sequitur, de quo in sa-
 cris scripturis præcipue autem in novo te-
 stamento tam frequens mentis fit, ut omnis
 Evangelii prædicatio cum regno Dei exor-
 diatur & terminetur, ideo Math. c. 3. v. 2.
 legimus de Joane præcursores Domini,
*pœnitentiam agite, appropinquavit enim
 regnum cælorum.*

§. 109.

Inter. Quid postulamus per secundam
 petitionem?

R. Per secundam petitionem postulamus.

imo. Ut Deus suam Ecclesiam & regnum
 gratiæ propagare & custodire, regnum ve-
 ro diaboli & peccati destruere dignaretur.

Deum

Deum Regem Regum & Dominum Dominantium, sub ejus potestate & regimine omnia esse posita confitemur & præcamur, ut ille Rex tam sanctus regimen super terram extendere, ut ad suum regnum infideles & Hæreticos, ejuratis erroribus suis perducere velit; ut dona sua cœlestia gratiasque elargiatur, de quo Isaias c. 54. v. 2. *dilata locum tentorii tui & pelles tabernaculorum tuorum extende.*

Oramus, ne admittat Deus super nos regnare Diabolum, fraudes ejus, tentationes & malam voluntatem, *ut mortem destruat inimicam.* 1. Corinth. c. 15. v. 26.

2do. Ut fidem, spem & charitatem nobis infundere & adaugere dignetur.

Hæ sunt virtutes, quibus pura & sancta regni sui membra efficimur, hæ sunt quæ nos Regi nostro pœnitus adhærere faciunt; per vivam nempe fidem in illum firmissime credendo, per spem in illius infinitam misericordiam confidendo, & charitatem eum super omnia amando; ex quibus sequitur, nos solum regnum cœlorum quærere oportere.

3tio. Ut post hanc vitam regno cœlesti potiamur.

Quid aliud nobis venit desiderandum quam gloria & felicitas æterna: dum oramus, adveniat regnum tuum, recordemur æterni

il-

illius gaudii, quod nobis Deus paravit, expetamus illud sæpius cum latrone, Luc. c. 27. v. 42. *memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum*; quod summopere etiam appetiit gentium Apostolus ad Phil. c. 1. v. 21 & 23. quocum & nos dicamus: *mihi vivere Christus est, & mori lucrum, cupio dissolvi & esse cum Christo.*

§. IIO.

Inter. Quæ est tertia petitio.!

R. Tertia petitio est: *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.*

Postulayimus regnum cœleste, cum autem id consequi non possumus, nisi voluntatem patris adimpleverimus, dicente Math. c. 7. v. 22. *si vis ad vitam ingredi serva mandata; qui facit voluntatem patris mei, qui est cœlis, ipse intrabit in regnum cœlorum, quam ut digne adimpleamus petimus ut fiat.*

§. III.

Inter. Quid postulamus per tertiam petitionem?

R. Per tertiam petitionem postulamus: imo. Ut Deus, quatenus suam divinam voluntatem in omnibus prout semper sicut angeli & electi in cœlis adimpleamus gratiam suam concedat.

Per

Per voluntatem Divinam intelliguntur omnia, quæ nobis ad cœlestem beatitudinem comparandam sunt proposita; petimus, ut nos mandatis suis Deus obedire faciat, ut voluntatem nostram ad ipsius nutum inclinet, flectat, de qua Paulus ad Ephes. c. 5. v. 17. *nollite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei*; petimus ut fiat voluntas sicut in cœlo & in terra; quæmadmodum enim voluntas patris ab angelis & electis Dei in omnibus summa delectatione & charitate adimpletur, ita & a nobis in adversis & secundis integerrime fieri a Deo postulamus.

2do. Ut Deus omnia, quæ ad impletionem suæ voluntatis impediunt abigere dignaretur.

Etsi enim per redemptionem & baptismum peccatum sit deletum, remansit tamen proclivitas ad malum; concupiscentia & voluntas carnis, de qua Paulus ad Rom. c. 7. v. 23. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*; ex quo fit, ut non quæcumque voluerimus, eadem etiam faciamus, ideo supplices postulamus, ne voluntati & corrupto iudicio nos relinquat, *sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* gen. c. 8. v. 21. ut ea omnia,
quæ

quæ sensus, cupiditas & imbecilitas nostra suadet, deleat, amorem nostrum perversum, voluntatem bonum obtenebrantem penitus extinguat. Tua solum Domine, qua nostram dirigis, fiat in æternum voluntas.

De quatuor postremis orationis Dominicæ petitionibus.

§. 112.

Inter. Quæ quarta petitio?

R. Quarta petitio est. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Tres primæ petitiones vitam æternam concernunt, cum autem carnales simus, multisque corporis & animæ indigemus in hoc mundo necessitatibus, Christus ipse jubet, ut has a Deo bonorum omnium Authore postulemus; hæc bona autem in quatuor postremis orationis Dominicæ orationis petitionibus continentur.

§. 113.

Inter. Quid postulamus per quartam petitionem?

R. Per quartam petitionem postulamus:

imo.

imo. Ut Deus nobis omnia, quæ ad vitam corporalem, quam spiritualem sustentandam sunt necessaria elargiri dignaretur.

Panis dupliciter est accipiendus, *panis temporalis* nempe cibus, potus, indumentum, cæteraque omnia, quæ ad sustentandam vitam nostram, & *panis spiritualis*, quæ spiritui sunt necessaria, ut exercitium virtutum, bona opera, verbum Dei; sicut enim corpus sine cibo, sic anima nostra sine spirituali condimento subsistere non potest, de quo Math. c. 5. v. 6. Christus ait: *beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur.* Per panem spiritualem, quo frui etiam petimus, quæ vitam omnem dat animæ & sanctificationem, Christus Jesus intelligitur, qui de se dicit Joan. c. 6. v. 51. *ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane (digne) vivet in æternum.*

Nostrum, quo verbo a Deo postulamus, ut solum in ea quantitate nobis necessaria elargiatur, quæ sufficit, & nos nullatenus superflua petere velle, sed ita ut aliamur, & secundum statum nostrum sustentemur, quod & ipse Salomon a Deo præcabatur dicens Prov. c. 30. v. 8. *mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria.*

Nostrum dicimus, non quasi deberetur nobis: *Domine tu das escam in tempore opportuno* Psal. 144. v. 15. sed quasi nostro labore & sudore comparandus sit.

Nostrum dicimus non meum, ut per hoc maxime divites & bene habentes agnoscant panem præcipue eorum non esse ad avaritiam, sed ad communem misericordiam & pauperum sustentationem, Tob. c. 4. v. 17. *Panem tuum cum esurientibus & egenis comede & de vestimentis tuis nudos tege.*

Quotidianum, quia quotidie & omni momento auxilio divino utimur, quotidie necessitatibus & angustiis præmimur: ultro *quotidianum* dicimus, significando ordinarium, frugalem & temperantem victum nos desiderare; ne cupiditas gula, & bonorum conjunctio quotidiana, sed vera christiana sobrietas & temperantia in nobis gubernet, ideo nos monet Christus Math. c. 6. v. 34. *nollite ergo solliciti esse in crastinum.* v. 33. *quærite ergo primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Da nobis, quibus verbis infinitam Dei omnipotentiam adoramus, significando nobis dare omnia posse, si vellet: etiam per verba hæc singulari charitate Patrem nostrum

strum aggredimur, flagitamus, a quo omnia certo accepturos confidimus.

Hodie, quod verbum omnino cum *quotidiano* connexum est, petimus enim eo ipso die nobis dari panem, quo rogamus, cum nulla prætereat hora, qua non tam temporali, quam spirituali indigeamus alimento.

2do. Ut Deus penuriam, egestatem & famem, peccatumque, malorum istorum sæpenumero causam, a nobis abigere dignaretur.

Per petitionem hanc postulamus non solum, ut necessaria tribuat, sed etiam, ut omnia ea alienare dignaretur, quod horum consecutionem impediunt; rogamus, ut omnes malas aeris, tempestates, tonitrua, grandines, nimias pluvias aut siccitatem, calorem aut frigus, quæ fructibus terræ & corporum sanitati officiant, abigat.

Rogamus, ut mala omnia, quæ spiritua-
lem panem impediunt, peccatum a nobis exulet, cupiditas terrenarum opum, fraus, dolus, avaritia, injustitia, furtum, immisericordia, cordis durties & obcæcatio, quibus Dei alias Patris nostri amantissimi ira in nos concitatur, ut Isaïæ c. 5. v. 8.
*Væ, qui conjungitis Domum ad Domum
& agrum agro copulatis, usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?*

§. 114.

Inter. Quid quinta petitio ?

R. Quinta petitio est, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Per quatuor primas petitiones, dona, per tres postremas autem a malis liberari postulamus, a quibus nulla daretur dimissio, nisi salvator noster Jesus Christus per passionem suam & accerbissimam mortem satisfecisset; *unde solum, ut ait Cath. Rom. perennis ille fons ad eluendas peccatorum sordes erupit, quo perfundi & expiari, Deo duce & largitore exoptamus, cum illud ab eo petimus, dimitte nobis debita nostra.*

§. 115.

Inter. Quid per quintam postulamus petitionem ?

R. Per quintam postulamus petitionem, ut peccata nostra Deus nobis remittat, quia omnibus, qui nobis male fecerunt, remittimus.

Dum dicimus dimitte nobis, confitemur solum Deum peccata dimittere posse. *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, Isaiaë c. 43. v. 3. omnes nos esse nullo*
ex.

excepto peccatores. 1. 3. Reg. c. 8. v. 46. *non est homo, qui non peccet.* Prov. c. 24. v. 16. *septies in die cadet justus,* & Joan. c. 1. v. 8. *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Debita, peccata nostra vocantur; statim enim quando peccamus, debitum honorem & obedientiam Deo auferimus, culpam & debitam poenam incurrimus, quibus ut absolvamur, justitiæ Divinæ per poenitentiam & dolorem satisfacere debemus: peccata nostra debitis assimilavit Christus ipse Math. c. 18. v. 23. usque in finem cum Domini terrestris debita, patris cœlestis debitis, quæ contraximus, comparat.

Nostra, ideo, quia originale inclusa nostra in primis parentibus voluntate, & actualia nostro libero arbitrio comittimus; peccata igitur non aliena, sed nostra sunt, unde Isaia c. 53. v. 5. *vulneratus est propter iniquitates nostras, scelera nostra,* & 1. Joan. c. 1. v. 9. *si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Intelligendum est, si voluerimus, ut Deus nobis dimittat delicta, peccataque nostra, debere nos inimicis ignoscere, eos-

demque diligere, quomodo enim veniam sperare peccatorum nostrorum possemus, si charitatem in proximum non habuerimus, quod clare ipse Christus Math. c. 6. v. 14. declarat: *si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra, si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra*, sciverat utique Deus paucissimos adeo esse, qui proximum suum diligant, sed plerumque odio habeant, ideo in oratione Dominica præcipue de dimissione debitorum proximi meminit, ut quotidie præcepti hujus magni recordemur. Non solum si non dimiserimus, neque nobis peccata nostra dimittentur sed nullum quoque bonum opus, nulla cogitatio proficua ad salutem esse potest, si non ex corde dimiserimus, quod Christus Math. c. 5. v. 23. sic exprimit: *si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo*; nihil te mi Christiane omnes juvant orationes, bona opera, elemosinæ, nisi proximum tuum diligas, eique ex corde dimittas, & pro eo apud Deum interpelles, præceptum Domini est, Math. c. 5. v. 44: *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his,*
qui

qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos,

§. 116.

Inter. Quæ sexta petitio?

R. Sexta petitio est, & ne nos inducas in tentationem.

Postquam a peccatis liberari postulavimus necesse est, ne relabamur, a Deo petere, ut ea omnia dimoveantur, quibus fragilitate nostra in peccatum inducimur; quid autem aliud hoc est, quam tentatio, cui omnis homo necessario subjicitur, testante Jobo c. 7. v. 1. *tentatio* (militia) *est vita hominis super terram*; sicut enim, qui in morbum incidere assuetus est, præservantem medicinam sumit, sic & nos a peccatis, in quæ per tentationem labimur, per divinum auxilium præservari hac petitione postulamus.

§. 117.

Inter. Quid per sextam postulamus petitionem?

R. Postulamus per sextam petitionem, ne tempore tentationis nos Deus deserat aut huic succumbere permittat.

Omne peccatum propria voluntate commissum tentatio præcedit, quid enim delibe-

beratio est, quam tentatio, quapropter actus indeliberatus peccatum non est; postulamus igitur Deum, ut nos a tentatione, quæ in peccatum inducit, liberare dignaretur; tentationem esse periculosissimam Christus Math. c. 26. v. 41. testatur, *dum discipulos monet, dicens: orate, ut non intretis in tentationem*; quod exemplis s. scripturæ probatur, Job tentatione victus Deum blasphemavit, Petrus tentatus ab ancilla negavit Christum; Judas avaritia tentatus tradidit Christum; si hic ceciderunt, quanto magis nobis orandum est, ne tentationi succumbamus.

Dum autem postulamus dieendo: *Et ne nos inducas in tentationem*; non intelligendum est, Deum esse causam, cur tentemur aut peccemus; quis enim mali quid de Deo cogitare ausus sit; unde in Epist. Jacobi c. 1. v. 13. *nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est*; sed admittit, ut fidem in illum de nobis exploret, ut patientiam probet & obedientiam, hoc Deut. c. 13. v. 3. ostenditur; *tentat vos Dominus Deus vester. ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non in toto corde, in tota anima vestra.*

§. 118.

Inter. Quot modis præcipue tentatio fit?

R. Tentatio fit præcipue a mundo, carne, & Diabolo.

Triplici hoc modo homines super terram tentari testantur scripturæ sacræ 1 Joan. c. 2. v. 16. *omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & 1 Pet. c. 5. v. 8. sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem devoret.*

A mundo tentamur, cum nobis divitiæ, honores, illecebræ, pulchritudo, bona fama ostenditur.

A carne. Cum concupiscentia in corpore nostro insurgit adversus spiritum, diligendo corporis cupiditatem, saturitatem, voluptatem, carnisque fœdam, dilectationem; his accedit *Diaboli* tentatio, impetus, qui in nobis quodammodo regnat, de quo ad Ephes. c. 6. v. 12. *non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem; sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitie in cœlestibus;* ex quibus patet maxime nos a diabolo tentari, quod clare Math. c. 4. v. 3. & seq.

seq. Christum tentavit Diabolus, *dic ut lapides isti panes fiant*; en per carnem, quam esuriit: *si filius Dei es, mitte te deorsum*; en internam suggestionem, seu Diabolum: *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*; en mundum. Docuit autem nos simul Christus, qui tentationi succumbere non poterat, ut quemadmodum ille Satanam repulit, & nos repellamus in tentationibus dicendo semper: *vade retro Satana, scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies.*

§. 119.

Inter. Anne justī etiam tentationibus sunt obnoxii?

R. Etiam justī tentantur.

1mo. Per ægritudinem.

2do. Per paupertatem & alia incomoda.

Etiam justī & pii in hoc mundo tentantur divina ita disponente ordinatione, ad significandum, eos esse in corpore, ut Deus probet in bono perseverantiam & charitatem; sic tentavit Deus Abraham & Jobum & mittit illis angustias, dolores, morbos & varios cruciatus. Diabolum autem adhuc magis tentare justos, quam peccatores, mirum non est, cum enim de
pec-

peccatoribus jam victoriam quasi reportaverit, omni sollicitudine justos seducere aggredditur, omnis generis gravissimas ingrens tentationes, & ita loquendo tota die divexans: *ut cribraret sicut triticum* Luc. c. 22. v. 31. nihil tamen timendum, misericors enim Deus est, quod Paul. I Cor. c. 10. v. 13. *fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentare supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

§. 120.

Inter. Quæ septima petitio ?

R. Septima petitio est, *sed libera nos a malo.*

Cum enim in hoc mundo nihil omnino boni inveniatur, sed quotidie mala hominem subsequantur, pericula in anima & corpore, morbi, curæ, sollicitudines, aliæ quæ innumeræ, de quibus Job. c. 14. v. 1. *homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur & conteritur.* Imploranda est hæc ultima petitione Divina majestas, ut a malorum tantorum copia nos liberare dignaretur.

§. 121.

Inter. Quid per septimam postulamus petitionem ?

R. Per septimam postulamus petitionem.

imo. Ut Deus nos præcipue a malo animæ quod est peccatum liberare, & a temporali, æternaque pœna custodire dignaretur.

Cum tentator malorum sit diabolus maxime, ut superiori petitione locuti sumus: *sed libera nos a malo*; juxta mentem sanctorum Patrum, ut ait Cath. Rom. a Dæmone præcipue liberari postulamus, quo circa etiam a peccato, quod maximum malum est, liberabimur; cum tamen offensa Dei nostra fiat libera admissione, rogandum est, ut spirituales pœnæ dimoveantur, ut impœnitentia, induratio cordis, obcœcatio intellectus & hujusmodi: Diabolus & peccatum discedant, ne pœnæ temporali & æternæ succumbamus.

2do. Ut Deus, nisi animæ salutem conducant, a malis corporis nos liberet.

Petimus a Deo, ut nos paterna sua bonitate servet ab igne, fulgore, tempestate, grandine, aqua, aonæ charitate, sediti-
nibus, bellis, morbis, pestibus, fame repentina & improvisa morte, ab omnibus-
que

que malis præteritis, præsentibus & futuris, ut pia mater Ecclesia quotidie orat.

3tio. Ut Deus gratiam largiatur tribulationes omnes patienter sustentandi.

Sicut enim impatientia malum est, sic patientia præcipua virtus, pro qua orandum; quibus enim magis omni momento torque-mur, quam involuntate & impatientia crucem portare nollentes; simus memores edicti salvatoris nostri Jesu Christi, Luc. c. 21. v. 19. non posse nos salvari nisi in patientia: *In patientia vestra possidebitis animas.*

Denique petitione hac postrema a Deo petimus, ut, si sua sancta voluntas fuerit nos de hoc mundo, in quo ignorantia, concupiscentia, corruptio & diabolica regnat fraus, liberet, & ad æterna gaudia, ubi malum inveniri non potest, perducatur, quo desiderio Paulus gentium Apostolus flagrabat, dicens: Epist. ad Rom. c. 7. v. 24. *quis me liberabit de corpore mortis hujus, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, sit nobiscum in sæcula sæculorum.*

§. 122.

Inter. Quid significat verbum *Amen.*

R. *Amen* vox græca est, quæ hoc loco significat fiat, fiat.

Pe-

Petimus nempe, ut quæ hac Dominica oratione postulavimus per misericordiam Dei ad majorem gloriam suam, animarumque nostrarum salutem certo eveniant.

DE SALUTATIONE ANGELICA.

§. 123.

Inter. Quam petitionem conjungunt Christiani catholici cum oratione Dominica?

R. Christiani catholici conjungunt cum oratione Dominica salutationem angelicam.

Inter orationes & petitiones, quas Christiani recitare solent, *salutatio angelica* seu *Ave Maria* secundum locum obtinet, Deum enim summis laudibus celebramus, ipsique gratias agimus, quod cœlestium bonorum magnitudine sanctissimam virginem Mariam ornaverit, Matri autem de accepto infinitæ celsitudinis culmine gratulamur, ejusque simul potentissimum imploramus patrocinium.

§. 124.

Inter. Quid est salutatio angelica?

R. Salutatio angelica est oratio, qua virginem Mariam & matrem Dei præ omnibus Angelis & electis veneramur & imploramus.

Ma-

Magni alicujus Principis aut Domini parentes honoramus, & veneramur, quia originem ab ipsis acceperunt, & de illis proveniunt; omni studio ac reverentia eosdem propter eorum creaturas prosequimur; plus semper in honore eosdem habemus, quam amicos & Magnates principum & Dominorum. Si in terrenis istum observamus necessario ordinem, quanto magis præ omnibus amicis & servis Dei, qui sunt Angeli, potestates & electi, venerabimur matrem Dei, Domini nostri Jesu Christi, qui princeps & Dominus noster est, quod eo minori probatione opus habemus, cum Angelus ipse, qui principalem creaturarum Dei occupat locum, Mariam venerabatur, dicens Luc. c. i. v. 28. *Ave Maria gratia plena.*

§. 125.

Inter. Quomodo sonat salutatio angelica.

R. Salutatio angelica ita sonat.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventri tui Jesus. Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ. Amen.

Salutatio angelica, seu ut vocamus Ave Maria, tribus constat partibus salutatione Arch-

Archangeli Gabrielis, salutatione Elisabeth, & verbis ab Ecclesia appositis; & quidem ut de mirabilissimo conceptu Deus beatam Mariam præveniret, misit Archangelum Gabrielem de cœlis, qui ut Luc. c. i. v. 28. legimus, his verbis illam salutavit: *Ave Maria gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.*

Ave Maria. Ave vox est significans salve, exulta, lætare, consolare, quia Deus sanctissima Trinitas præ omnibus aliis creaturis te elegit in filiam, matrem & sponsam Spiritus S.; hoc tibi jussu & legatione summi Regis cœlestis omnipotentissimis nunc gaudens annuntio.

Maria in originali conceptu *Dominam* audit; per miraculum enim conceptionis de Spiritu S. Regina, & Domina cœli & terræ facta est, de Domini potestate & magnificentia participans

Gratia plena. Maria præ omnibus sanctis majorem accepit a Deo gratiam: legimus Stephanum plenum gratia & fortitudine, Apostolos Spiritu S. repletos, at tamen longe aliter prædita est mater Dei, non enim in electis habitavit plenitudo Divinitatis; hi acceperunt gratiam, ut possent ministerio suo fungi, Mariæ autem gratiarum omnium cœlestium infusa est abundan-

dantia, sicut ut aliquid dicam, radii solis excellunt radios lucis in splendore & pulchritudine; sic Maria gratia, quam Dominus dedit illi, excellit Cherubinos, choros Angelorum, Apostolos, Martyres, Virgines & omnes electos, ut Eccl. c. 24. v. 25. *In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.*

Dominus tecum. Deus ubique est, nobiscum est, sed singulari & excellentiori quadam ratione fuit in Maria, quacum tantam habuit communicationem, ut non solum ipsi suam voluntatem, sed etiam carnem conjungeret, ac de sua virginisque substantia unum Christum nobis efficeret, quod ipsa beata Virgo testatur Luc. c. 1. v. 48. *fecit mihi magna, qui potens est; fecit utique magna, quia tota Trinitas cum illa fuit: Pater, qui suum Mariæ fecit filium: filius qui de Maria suscepit carnem: Spiritus S. de quo concepit filium.*

Benedicta tu in mulieribus. Ex plenitudine gratiæ & speciali Domini inhabitatione, ut superius explicavimus, inter omnes mulieres benedicta est Maria; quam præcedentiam præ aliis mulieribus variis adhuc de causis adeptæ est, non enim Maria peperit in dolore filium sicut matres ob maledictionem generalem Gen. c. 3. v. 16. *in dolore paries filios & filias;*
cum

cum angustia & mortis periculo proles suas in lucem edunt. Benedicta est inter mulieres, quia benedictum præ filiis hominum castis visceribus concepit, & immaculato partu cum gaudio edidit: benedicta est, quia ante & post partum Virgo permansit: benedicta ob insignes virtutes, obedientiam, humilitatem, castitatem & innocentiam; o benedicta es Maria inter omnes homines, te enim cum pia matre Ecclesia etiam a generali originalis peccati noxa liberamus, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* cant. c. 2. v. 2. *tota pulchra es amica mea & macula non est in te* v. 7. benedicta, immaculata es inter omnes mulieres Maria, in splendidissimo enim corpore ac purissima anima requievit, Dominus dicente Davide Psal. 18. v. 6. *in sole posuit tabernaculum suum.*

Altera pars salutationis angelicæ constat ex verbis Elisabeth: Maria postquam de Spiritu S. concepisset Luc. 1. v. 39. *abiit in montana cum festinatione in civitatem Judæ - - & salutavit Elisabeth, quæ etiam gravida erat cum S. Joanne Baptista, postquam autem Maria Elisabetham salutavit, infans, Joannes exultavit in utero ejus & repleta est Spiritu S. & exclamavit voce magna & dixit: benedicta tu*
in-

inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui Luc. c. i. v. 41. & seq. mirata est consolatione ingenti præsentiam Mariæ dicens: *& unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* v. 43. quid mater & Dominus cœli & terræ me hic visitare dignantur; obstupescite cœli, mihi vili creaturæ hanc eximiam præstat Deus gratiam.

Ex qua salutatione videre est, eadem verba, nempe: *benedicta tu inter mulieres*, etiam ab Elisabeth repetita fuisse, & solum addidisse *benedictus fructus ventris tui*; non solum Maria prædicatur benedicta in hac oratione, sed & fructus benedictus dicitur, quis fuit fructus ventris Mariæ, anne benedictus? quis dubitare audet, imo laudet & superexaltet in sæcula exclamans cum Zacharia Luc. c. i. v. 68. *benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ. Fructus ventris* utique benedictus, de Spiritu S. conceptus; hic *fructus* erat, qui in mundum portavit salutem, & sicut primus parentum nostrorum fructus fuit omnibus hominibus ad maledictionem, sic hicce sanctissimus fructus nobis est ad æternam benedictionem: *in semine tuo benedicentur omnes gentes*, Gen. c. 26. v. 4: dum ultro dicitur *fructus ventris tui*, declaratur

vere ex sanguine & carne Mariæ Christum hominem factum, sicut pomus ex succo arboris crescit, sic & Jesus ex carne materna carnem suam traxit, & filius naturalis est.

Jesus nomen apposuit jam Ecclesia, ut omnium gratiarum Mariæ & nobis collatarum Authorem & salvatorem agnosceremus & prædicaremus.

Postremam denique partem adjunxit pia mater Ecclesia, ut suam magnitudinem & excellentiam agnoscentes & venerantes eandem ex toto corde deprecaremur, ut nos exules filios Evæ in hac lachrimarum vale non deserat, sed ut omnium nostra mater custodiat, apud suum dilectissimum filium pro nobis semper intercedat; oramas, *sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ. Vere sancta*, quid enim post Ss. Trinitatem sanctius esse poterit, quam *mater Dei*, Domini nostri Jesu Christi; non potuit mater esse Divinitatis, quia Deus ab æterno est, sed dicitur vere *mater Dei*, quia Christum Deum simul & hominem inseparabiliter in una substantia genuit; *ora pro nobis peccatoribus* oramus, en maximum refugium nostrum Maria, si jam vindictæ gladius super cervices nostras iminet, qui est nos custodiens, Maria est?

unde S. Bernardus sermone in Nat. B. M. V. *Hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, quid enim, potest ne filius aut repellere aut sustinere repulsam, non audire, aut non audiri filius potest.*

*Nunc & in hora mortis nostræ; cum omni momento adiutorio egeamus, præfertim autem in exitu e corpore, ubi ultima pugna cum carne, mundo & Diabolo est sustentanda, ex illo enim momento tota pendet æternitas, illud postremum terribile momentum, aut nos æternum felices aut infelices facit; singulari ergo ope necesse habemus in illo articulo. Quam autem potentiozem implorarem tunc auxiliatricem quam Mariam, quæ omnes diabolicos fraudes sua intercessione repellit; de voce *Amen* vide superius.*

§. 126.

Inter. Cur dicimus sancta Maria mater Dei?

R. Nos dicimus sancta Maria mater Dei, quia beatissima virgo Maria Jesum Christum peperit, qui vere Deus est.

Quomodo hoc intelligendum sit jam §. præcedenti dum de verbis mater Dei ageremus, explicatum est.

§. 127.

Inter. Quando Ecclesia catholica præcipue beatam matrem salutatione angelica veneratur?

R. Ecclesia catholica præcipue veneratur salutatione angelica, mane, ad meridiem & vesperam dato campanæ signo.

Pius hic mos Christianorum antiquus est, jam enim ad Annum 1327 legitur pulsu campanæ admonitos fuisse Christianos. ut hanc præcationem ter ad Ss. Virginem funderent, quam piam consuetudinem pontifex Joannes 22. cum decem dierum indulgentiis, si ter repetita fuerit, confirmavit. Fleuri hist. Eccl. lib. 93. §. 32.

Quam efficax hæc oratio sit ex præcedentibus constat, ideo speciali devotione erga magnam matrem salutationem angelicam dicamus, quæ præcipue tribus in die vicibus recitatur, mane, ad meridiem & vesperi, quando signum campanæ datur & sic proceditur.

1mo. Angelus Domini nuntiavit Mariæ & concepit de Spiritu S. *Ave Maria* &c.

2do. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. *Ave Maria.*

3tio. Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis. *Ave Maria.*

§. 128.

Inter. Ad quæ per hunc pulsum campanæ recordari debemus ?

R. Per hunc pulsum campanæ præcipue incarnationis Domini N. J. Christi recordemur, eamque devote & grate recolamus.

Nulla Dies non prætereat, ubi non gratissima salutatione filii matrem Mariam veneremur, quæ nobis Christum redemptorem dedit; o Maria! vox non est, quæ tuam edicere laudem, lingua non est, quæ tuam amabilitatem effari possit; te virginem potentissimam in genua prostrati imploramus miseri peccatores, sis semper mater nostra, te rogamus Regina cælorum, non desistas orare pro nobis, nunc & in hora mortis nostræ. Amen.

CAPUT III.

DE CHARITATE.

ARTICULUS I.

§. 129.

Inter. Quid est christiana charitas?

R. Christiana charitas est actus amoris, quo Deum summum bonum propter se, & proximum propter Deum amamus; propter Deum, quæ præcepit, facimus.

Charitas christiana supernaturale Dei donum est, sicut fides & spes; qua efficaciter desideramus Deum super omnia amare, & proximum sicut nos ipsos; charitatis objectum duplex est: primum nempe Deus, secundarium aut proximus amicus, seu inimicus, quæ inter se ita copulata sunt, ut neque Deum diligas, si proximum non diligis, & neque proximum diligere dici possis, si Deum super omnia non diligas; quomodo enim Deum aut proximum diligere potes, si non præceptis obediens es; diligeres simul & non diligeres, quod absurdum est.

Deus itaque super omnia diligendus est propter seipsum, sin etiam nihil tibi boni
fe-

fecisset unquam, sin etiam te plagis afficeret maximis, sin te ad inferos in æternum detruderet, sane amabilis est in se noster sanctissimus Deus; præceptum magnum habemus Math. c. 22. v. 37. *diliges Dominum Deum tuum - - hoc est maximum & primum mandatum*, & Paul. ad Rom. c. 8. v. 35. *quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio an angustia? an fames? an periculum? - - neque mors neque vita, neque altitudo, neque profundum poterit nos separare a charitate Dei.*

§. 130.

Inter. Anne Deum ex alio etiam motivo quam propter seipsum diligere debemus.

R. Tenemur Deum etiam diligere, quia in nos summe bonus est.

Irrationalibus deterior esset bestiis, qui eundem non diligeret, a quo percepit bona; si homo homini obsequium tenetur dilectionis, quanto magis tenetur diligere creatura omnis suum creatorem, conservatorem, redemptorem, Deum; a quo mi Christiane habes, quod vivas? quod comedas? quod sanus sis? a quo habes potentiam tuam, quam a Deo? quis tibi aperuit cælum? quis tibi dat veniam delictorum tuorum? quis tot gratias ad vitam æter-

æternam consequendam: vide igitur, quod tenearis non solum propter te solum, sed propter infinitam bonitatem & misericordiam Deum tuum diligere, quapropter Eccl. c. 7. v. 32. *in omni virtute tua dilige eum, qui te fecit.*

Ut autem ad debitum in Deum optimum moveamur amorem, beneficia in nobis innumere collata mente revolvenda sunt, dicendo sæpius cum Davide Psal. 117. v. 1. *confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.*

§. 131.

Inter. Quomodo Deus diligendus?

R. Deus super omnia diligendus est ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus nostris.

Non obvius, aut aliqualis in Deum amor sufficit, quo plerique posse esse contentos credunt, sese ipsos fallentes, quibus merito dici potest effatum Christi, Math. c. 1. v. 20. *nisi abundaverit justitia vestra, plusquam Phariseorum non intrabitis in regnum cælorum*; quid hic aliud nomine justitiæ, quam charitas, ex qua omnes scaturiant virtutes, intelligitur; sed requiritur amor internus, sincerus, verus, purus, constans super omnia appetiatus; de quo præ-

præceptum habemus Deut. c. 6. v. 5. *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens: & ligabis ea, quasi signum in manu tua -- scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.* Quamprimum rationis usum es affectus ad mortem usque, totum in dilectione Deo te tradas, oportet, *omnia vestra in charitate fiant* 1. Cor. c. 16. v. 14. *si tristaris & dolore affligeris, memor sis charitatis, omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet* c. 13. v. 4. *Omnis cogitatio, intellectus, voluntas in Deum tanquam summum bonum ferri debet, sicut omnes aquæ ex mari proveniunt, & iterum in illud revertuntur, sic omnes vires ac potentiæ nostræ spirituales & corporales a Deo provenientes in Deum revertantur, & in Deo sine ultimo sistant: Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo* 1 Joan. c. 4. v. 16.

§. 132.

Inter. Quomodo Deus super omnia diligitur?

R. Deus super omnia diligitur, dum omnibus creaturis præfertur.

Unum præ alio magis diligere dicimur, dum majori affectu in quemdam ferimur, & ideo unum alteri postponimus; frustra itaque mi Christiane summum amorem in Deum habere te jactas aut confidis, dum mandata ejus non custodis, majori affectu in peccatum, quam in Deum tuum traheris; si enim Deum plus, quam peccatum diligeres, peccatum non faceres; frustra ais, te Deum tuum ex toto corde & tota anima, & tota mente & omnibus viribus diligere, si creaturas plus diligis, quam creatorem, si majorem invenis lætitiã & gloriam in carne, divitiis, hujus mundi pompa & superbia, quam in Deo tuo; ideo clare salvator Joan. c. 14. v. 23. *si quis diligit me sermonem meum servabit* v. 24. *qui non diligit me, sermones meos non servat* v. 28. *si diligeritis me, gauderitis utique.* Pura itaque & genuina charitas in Deum tunc est, si postpositis omnibus creaturis & deliciis, ipsaque morte, ardentissimo animo & corde Deum super omnia diligimus, pro quo tam magnifico dono & supernaturali gratia Deus exorandus, ut eandem per Spiritum S. suum in nos infundere, conservare & adaugere dignetur.

§. 133.

Inter. Quid intelligitur per verbum proximus?

R. Per verbum proximus intelligitur quisvis homo, amicus & inimicus.

Per verbum proximus omnis intelligitur creatura rationalis ejusdem nobiscum beatitudinis capax, & extenditur non solum ad homines viatores, sed propter communionem sanctorum etiam ad electos Dei & animas purgatorii; nullus ex hoc ordine charitatis excluditur, neque angeli neque homines beatitudinem jam consecuti, animæ in purgatorio, quibus opitulari tenemur, sit justus vel injustus, amicus vel inimicus, consanguineus aut extraneus, peccator aut pius, Catholicus aut Hæreticus, aut infidelis; sunt enim omnes, vel jam beati, aut beatitudinis æternæ, quamdiu vivunt, capaces; solum excludere necesse est Dæmones & animas jam damnatas, quia capaces æternæ beatitudinis esse amplius non possunt; repugnat enim charitas in damnatos justitiæ Divinæ, qua cum Deo odium in illos æternum approbamus.

§. 134.

Inter. Quando dicimur proximum diligere?

R. Proximum diligere dicimur tunc, quando eidem bene volumus, quæ placita
&

& utilia sunt, facimus, eaque omittimus, quæ ipsi mala & nociva sunt.

Charitas proximi est voluntatis affectus, quo volumus cuivis vere bonum propter Deum. Vere bonum hoc solum intelligitur, quod non est præter legem Dei, ejusque gloriam & animæ salutem; ex quo sequitur, peccatum & in se malum, quod tantum apparens pro tempore bonum est, ex ordine vere charitatis excludi debere; quomodo enim affectus in se malus ad Deum referri posset, qui osor mali est. Bonum duplex est: *spirituale*, quo desideramus proximo æternam beatitudinem & media omnia ad illam consequendam necessaria: *temporale*, quo desideramus bona temporalia proximo ad vitam corporalem sustentandam, & media ad salutem futuram conducentia. De hac perfecta in proximum charitate nos admonet Christus Math. c. 7. v. 12. *omnia ergo, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc est enim lex & Prophetæ*, quod Luc. c. 6. v. 31. repetit, & Tob. c. 4. v. 16. *quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.*

§. 135.

Inter. Tenemurne proximum diligere ?

R. Tenemur proximum diligere ita quidem, ut sine hac dilectione habito usu rationis nemo vitam æternam consequi possit.

Post mandatum magnum primum in lege, qua Deum super omnia diligere tenemur, statim secundum simile huic præcipitur Math. c. 22. v. 39. *diliges proximum tuum sicut te ipsum*, quod simul legimus Luc. c. 10. v. 27. ad quæ apposuit Christus v. 28. *hoc fac & vires*, significans omnes nos morituros damnandosque, qui charitatem tam in Deum, quam proximum opere non exercuerint. Non sufficit mi Christiane, si proximo tuo, amico tuo & inimico nihil mali facis, nihil mali optas, eundem non curas, nihil tibi prodest; *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem* Christus Joan. c. 13. v. 34. Christus vere opere dilexit nos, sic & nos alterutrum non fecte, sed vere diligere & dilectionem opere ostendere tenemur; si vis vivere cum Christo, toto corde remitte, si quid habes adversus proximum tuum, ita Christus Math. c. 5. v. 44. *ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos,*
 &

& orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Caritas est virtus omnium major, quam, si non habueris, truncus inanimis es; & si tota vita tua orares, omnia in pauperes distribueres, mortuus es sine charitate, quod Apostolus ad Cor. II. c. 13. v. 2. si habuero prophetiam & noverimi mysteria omnia & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam -- si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Recordemur quotidie duorum magnorum mandatorum, quibus nobis Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos diligere præceptum est, hoc fac & viues, sin autem non feceris, audi sententiam æternæ mortis, I Joan. c. 3. v. 14. qui autem non diligit manet in morte.

§. 136.

Inter. Quomodo perficitur charitas in Deum & proximum.

R. Caritas in Deum & proximum perficitur per observationem præcipue præceptorum Decalogi.

Charitas in Deum consistit in eo, quod ita affectus nostræ voluntatis inclinetur,
ut

ut Deum super omnia diligamus, faciendo ea, quæ illi placita sunt, & ommittendo ea, quæ vere obsistunt dilectioni, eamque impediunt, quod etiam in dilectione proximi observandum est. Præcepta autem Decalogi, ut per decursum videbimus, præcipiunt officia in Deum & homines debita, & prohibent mala, omniaque dilectionem Dei & proximi impediunt, sequitur itaque per observationem præceptorum Decalogi charitatem in Deum & proximum perfici, quod Paul. ad Rom. c. 13. v. 10. confirmat, *plenitudo ergo legis est dilectio.*

ARTICULUS II.

De decem præceptis Decalogi in genere.

§. 137.

Inter. Quænam sunt hæc decem præcepta?

R. Decem præcepta Decalogi sunt sequentia, antequam ea secundum ordinem proferamus; notandum est, præcepta Decalogi tam in Exodo c. 20. quam Deut. c. 5. inveniri scripta, ambo eandem habent intelligentiam, solum verborum transpositione inter se variant; nos præcepta Decalogi, prout assuevimus, proferemus. Est igitur præceptum,

I. Ego

I, Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me. Exod. c. 20. v. 2. 3.

II. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. v. 7.

III. Memento, ut diem Sabbati sanctifices. v. 7.

IV. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram & bene fit tibi. v. 12. & Deut. c. 5. v. 16.

V. Non occides. Deut. c. 5. v. 17.

VI. Non mæchaberis. v. 18.

VII. Non furtum facies. Exod. c. 20. v. 15.

VIII. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. v. 16.

IX. Non concupisces uxorem proximi tui. Deut. c. 5. v. 21.

X. Non concupisces proximi tui, non agrum, non servum, non ancillam, & universa, quæ illius sunt. v. 21.

§. 138.

Inter. Cui Deus præcepta Decalogi tradidit?

R. Deus tradidit præcepta Decalogi Moyfi in monte Sinai pro populo Israel, qui ex Egypto in solitudinem secesserat.

Antequam Deus per Moysem præcepta populo traderet, ut Exod. c. 19. legimus, præcepit, ut tribus ante diebus vestimenta sua lavent; prohibuit, ne ullus in montem Sinai ascendat, neque eundem tangat sub pœna mortis; prohibitum erat, ne appropinquent tribus his diebus uxoribus suis; jam dies advenerat & cœperunt audiri tonitrua, micare fulgura, nubes densissima operire montem, buccinæ clangor vehementer strepuit; totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne: timuit utique populus & perterriti procul steterunt, rogarunt Moysem ob terrorem, ut ille ascendat in montem & audiat vocem Domini, timebant enim se mori debere. Moyfes itaque in montem ascendens & appropinquans audivit sermonem Domini inter media fulgura & tonitura. Cur ita Deus mandata sua publicari volluit, quam ut ostendat, ea non ab homine, sed a tremenda Divinitate procedere, ut ea cum omni humilitate & obedientia custodiamus, ut in terrore & tremore legem Dei observemus. O si in promulgatione tot fulgura, tonitrua & signa terribilissima, quid fiet in illo die, ubi jam

non publicabuntur, sed ratio exigetur strictissima, sequeturque pœna in æternum amarissima.

§. 139.

Inter. Anne præcepta Dei observatu possibile sunt?

R. Præcepta Dei observatu possibile sunt, quia gratia a Deo confertur.

Etsi præcepta hæc in cordibus hominum scripta sint, tamen ob sauciatam hominis voluntatem, quæ ad malum semper proclivis est, observari non possent, ideoque Dei auxilium & gratia ad observationem mandatorum est necessaria, quam Deus omnibus sufficienter dat, cum enim serio velit mandatorum observationem, vult & media ad observationem necessaria.

§. 140.

Inter. Quid decem præcepta Dei in se continent?

R. Tria prima præcepta Dei continent officia erga Deum, septem alia autem officia erga proximum.

Cum homo, qua creatura Dei Creatorem suum adorare & laudare, eumque agnoscere teneatur, specialia dedit præcepta, quæ
ipsum

ipsum solum concernunt, eaque primo loco posuit significans Deo super omnia esse seviendum; cum præterea homini in mundo inter confratres pariter vivendum sit, dedit alia præcepta, quibus in societate degentes tenemur varia officia inter se adimplere, & mala, quæ officiant societati ommittere, quæ secundo loco posita sunt, & statim post officia erga Deum adimplenda.

§. 141.

Inter. Ubi invenitur breve compendium decem præceptorum Decalogi?

R. Compendium decem præceptorum Decalogi breviter invenitur in duobus præceptis charitatis?

§. 142.

Inter. Quod est primum charitatis præceptum?

R. Primum charitatis præceptum est: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus suis.*

Omnia erga Deum officia & præcepta in charitate fundata sunt; cur unum Deum adoras? cur nomen ejus sancte custodis? cur diem Domini sanctificas? cur de pec-

catis doles? quam ideo, quia illum diligis, si enim non diligeres, hæc omnia omitteres, vides igitur omnia ex charitate tanquam e fonte provenire; quod Paul. 1. Thim. c. 1. v. 5. ait, *finis autem præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta.*

§. 143.

Inter. Quod est secundum charitatis præceptum?

R. Secundum charitatis præceptum est: *diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Omnia pariter in proximum officia & præcepta ex charitate dimanant: *finis præcepti est charitas*; cur enim honoras parentes, cur non occidis aut injustitias facis? cur non mæcharis, aut libidinosus es? cur non furaris & nocumentum proximo facis? ideo quia illum diligis, si enim non diligeres, ab his non abstineres; ideo qui furatur, qui injustitias facit, & fallacias, invidias & avaritias in corde suo habet, proximum diligere non potest: en igitur, quod omnia bona ex charitate proveniant, & contra omnia mala in illo, qui charitatem non habet, inveniantur. De his duobus præceptis S. Aug. lib. de perfectione hominis c. 5. ait: *quidquid ergo Dei lege*
pro-

prohibemur, & quidquid jubemur facere; ad hoc prohibemur, & jubemur, ut duo ista compleamus.

§. 144.

Inter. Quid de singulis advertendum est præceptis?

R. Advertendum est, in quovis esse aliquid præceptum & prohibitum.

Sicut cuivis virtuti oppositum est scelus, quod contra virtutem comittitur, sic etiam cuivis sceleri opponitur virtus, quæ omittendo scelus exercetur, & sic clarum est, in quovis Decalogi præcepto tam negativo, quam affirmativo esse quædam præcepta & quædam prohibita, quod per decursum patebit.

ARTICULUS III.

De decem præceptis Decalogi in specie.

De primis tribus Præceptis officia erga Deum continentibus.

I. Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me.

§. 145.

Inter. Quid primo mandato præcipitur.

R. Per primum mandatum præcipitur, ut in unum Deum credamus, eundem ad-
re-

remus, in eum speremus, eundemque amemus.

Fides in Deum hoc præcepto injungitur; cum enim Deus sit summe verax, infallibilis, fidelis, incommutabilis, qui nec falli nec fallere potest, omnem assensum ob unius solius Dei authoritatem præbere nos oportet. *Spes*, qua in misericordiam suam ac bonitatem infinitam sperantes, ea omnia adipisci confidimus, quæ promisit; *charitas*, qua eum super omnia amamus, quia in se infinite amabilis, decorus ac bonus est; de his tribus actibus religionis vide suo loco, dum de iis superius actum est.

Speciales Religionis nostræ actus, qui ex his tribus principalibus virtutibus fluunt, & hoc præcepto injunguntur, sunt:

I. Adoratio est actus, qua nostram erga Deum humilitatem & subjectionem in recognitionem infinitæ ejus excellentiæ & supremi in nos domini tam externe, quam interne profiteamur, ex quo sequitur nullum, nisi solum Deum adorari posse: unde Math. c. 4. v. 10. *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies.*

II. Sacrificium novæ legis, ubi agnus innocens Deo Patri offertur Jesus Christus salvator noster. Hoc incruentum sacrificium omnium excellentissimum est, quid enim Pa-
tri

tri cœlesti desiderabilius, quam filius suus unigenitus? per quod sacrificium enim magis placabitur, & majores elargietur gratias? quam dum illi amantissimum Jesum offerimus, de hoc plura inferius, dum de sacramento Eucharistiæ.

III. Votum, quod est promissio deliberata Deo facta de meliori bono & possibili: dicitur *Deo facta* in signum excellentiæ Divinæ, ideo sanctis votum fieri non potest; *de meliori bono*, hoc est si Deo aliquid promitto, quod alias præstare non teneor, ut certis diebus jejunare certam dare elemosinam &c. : & *possibili* hoc est, quod facere audeo & possum; ideo stultum esset votum facere de non peccando venialiter, quod utique in hac natura lapsa impossibile est. Advertendum tamen est votum, de quo hic ordinarie loquimur, simplex esse, adeoque meram promissionem Deo factam, quam priusquam faciamus, semper confessarius consulendus est, & sine illius approbatione nihil promittendum, ne peccati rei fiamus, de talibus promissionibus Isaïæ c. 19. v. 21. legimus: *colent eum in hostiis. & muneribus & vota vovebunt Domino & solvent*, & Psal. 75. v. 12. *vovete & reddite Domino Deo vestro.*

IV. Bona opera etiam præcepto hoc comendantur tanquam secundi generis sacrificia,

ficia, ut si Deo nostro offerimus, passiones, persecutiones, dolores, morbos, carnis macerationes, abstinentias, jejunia, & hujusmodi, de quibus Psal. 49. v. 14. *immola Deo sacrificium laudis.*

§. 146.

Inter. Quænam per primum præceptum prohibentur?

R. Per primum præceptum prohibentur infidelitas, idololatria, Divinatio, superstitio, magia, odium in Deum, desperatio, diffidentia in Dei misericordiam.

Hoc præcepto quivis falsus & inordinatus cultus veri vel falsi numinis gravissime prohibetur; hinc damnantur, qui plane nullum Deum agnoscunt & credunt, qui cultum Deo debitum creaturæ exhibent, ut fecerat populus Israel Idolis sacrificans: qui divinant, scire volentes secreta hominis ope dæmonis, quod tamen nemo scire potest, nisi solus Deus; qui somniis, volatuum avium credunt; ex constellatione & sideribus conjiciunt, ex aere, aqua, igne, herbis effectus quærunt; dies, menses, annos observant; sortibus utuntur; thesauros illicito modo fodiunt; ad vanas observationes utuntur ossibus mortuorum; de his omnibus & similibus, quæ hic referre, est impossibile.

possibile Deut. c. 18. v. 10. legimus: *ne inveniatur in te - - qui ariolos sciscitetur & observet somnia; atque auguria, nec sit maleficus; nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec Divinos, aut quaerant a mortuis veritatem, omnia enim hæc obominatur Dominus.* Has omnes superstitiones & vanas observantias detestans Spiritus S. Eccl. c. 34. v. 5. *Divinatio erroris & augura mendacia & somnia malefacientium vanitas est, multos enim errare fecerunt somnia & exciderunt sperante in illis.* Damnantur hoc præcepto, qui sacris rebus non utuntur sicut ab Ecclesia concessum est, aut ad vanas usurpant observationes, aut loca sacra inhonorant, quovis modo, reliquiis, aut imaginibus sanctorum abutuntur ad suas superstitiones; qui Deum tentant oratione sua, aut probant, utrum futura sint, quæ volunt, qui odio in illum feruntur aut despectu aut male de illo cogitant, loquuntur, irrident, blasphemant; qui in illius misericordia diffidunt, desperant, aut de illius misericordia audacter præsumunt, peccata peccatis cummulant, & sine omni pœnitentia credunt, delicta eorum esse remittenda, hæc omnia Diaboli opera sunt, quibus nos jam in baptisinate renuntiavimus: ne igitur in nobis sit horum monstrorum cogitatio unquam, recordemur
ma-

magni præcepti, quod Christus effatus est.
Math. c. 4. v. 10. *Dominum Deum tuum
adorabis & illi soli servies.*

§. 147.

Inter. Estne invocatio & cultus Angelorum & sanctorum contra primum præceptum.

R. Invocatio & cultus Angelorum & sanctorum non est contra primum præceptum, sed bonum & utile est Angelos & sanctos venerari & invocare.

Cultum angelis & sanctis tribui debere Ecclesia nos docet, & dogma fidei est: non enim hæc veneratio Deo aliquid derogat, qui solus est orandus, sed adhuc gloriæ illius multum accedit, cum conjunctissimos ipsius amicos & gloria æternæ cohæredes veneramur; vide mi Christiane, anne colis Magnates regni & præpositos, cur, quam quia a principe terræ sunt constituti, illis adularis & in necessitatibus tuis eosdem accedis, atque omnem reverentiam & honorem das; qui sunt angeli & sancti? quam ministri Dei, qui pro nostra etiam curant salute, de his Psal. 138. v. 17. legimus: *nimis honorati sunt amici tui Deus,* & Conc. Trid. sess. 27. *mandat omnibus Episcopis & cæteris docendi munus sustinentibus, ut juxta Catholicæ & Apo-*

Apostolicæ Ecclesiæ usum a primævis christianæ religionis temporibus receptum doceant, sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare -- illos vero, qui negant sanctos æterna felicitate in cælo fruendos invocandos esse, & hanc invocationem esse idololatriam, damnandos esse, prout eos jam pridem damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.

§. 148.

Inter. Quare Christiani angelos invocant?

R. Christiani invocant angelos, ut suos custodes, qui eosdem amant, salutem procurant, pro illis orant, Deum incessanter contuentur & necessitates nostras ante Thronum Divinum deferunt.

Jam quidem superius, de creatione differuimus, de angelorum excellentia & proprietatibus dictum est, nihil ominus tamen hic adhuc repetere liceat, angelos principales creaturas esse venerandos, & summo opere colendos a Christianis, quia ministri & legati Dei sunt, nostri curatores, custodes & patroni potentissimi, qui, quia desiderant nos omnes salvos fieri, & aliquando Deum videre, sicut illi contuentur,

tur, præces nostras & necessitates ante thronum Divinæ Majestatis portant; de quo Apoc. c. 8. v. 4. *ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo,*

§. 149.

Inter. Quare Christiani sanctos invocant?

R. Christiani sanctos invocant, non quasi sua virtute nos juvare possent, sed quia amici Dei sunt, & pro nobis Deum orant.

Cum sanctos invocamus, spes & fiducia omnis in solo Deo collocanda est, qui omnis boni spiritualis & corporalis Author est: ut autem desideria nostra e voto succedant, sanctos tamquam patronos & potentissimos intercessores implorare debemus, de his clare legimus, de claudo ex utero matris, quem ad portam templi Petrus resanavit, dicens: *viri Israelitæ, quid miramini in hoc; aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare, Deus Abraham - - glorificavit filium suum Jesum, & in fide nominis ejus, quem vos vidistis & nostis confirmavit nomen ejus, & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* act. c. 3. v. 12. Invocamus sanctos præterea, & eos colimus,

ut

ut eximia in illos Dei opera & beneficia per illos nobis eorum intercessione collata laudemus, eosdem tamquam amicos Dei honoremus, eorumque vitam & exempla, quibus ad felicem æterni habitaculi possessionem venerunt, sectemur.

Præterea a fidelibus reliquiæ sanctorum ab Ecclesia approbatæ venerandæ sunt, cum enim spiritus eorum venerari nos oporteat; corpora & reliquias eorum suo modo venerandas esse ratio ipse docet, & plane injuriosum diceres ejusmodi Christianum, qui cultum etiam reliquiis sanctorum non exhiberet, quapropter omissis tot sanctorum Patrum testimoniis Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Cyrillo, sufficiat declaratio Conc. Trid. sess. 25 dicentis, *illos vero - - qui negant sanctorum martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus S. a fidelibus veneranda esse, aut affirmavit sanctorum reliquiis venerationem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, damnat Ecclesia.*

§. 150.

Inter. Anne usus imaginum in Ecclesia catholica per primum præceptum prohibetur?

R. Usus imaginum in Ecclesia catholica non est contra primum præceptum Dei, cum

cum illud tantum prohibeat, ne faciat imagines, ut adorentur.

Per imagines hic non solum ex charta factæ, sed picturæ, statuæ & quæcumque representationes intelliguntur; honorem debere sacris imaginibus Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Angelorum & sanctorum Dei, traditio perpetua nos docet & Conc. Trid. sess. 25. confirmat. dicens & declarans: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis & aliorum sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem imper-tiendam; qua ratione autem colendæ sint quæcumque imagines; S. Synodus declarat: non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis fit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed imagines ideo colendæ sunt, quia per illas nobis veri illi repræsentantur, qui in coelis sunt, & de quibus desuper auxilium sperandum est, non autem de imaginibus hic pictis aut sculptis, quæ tela sunt & ligna: honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypum, quæ illa repræsentat, ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus,*
 &

Et procumbimus Christum adoremus, Et sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur; omnis porro superstitio in sanctorum invocatione, Et reliquiarum veneratione Et imaginum sacro usu tollatur.

§. 151.

Inter. Quomodo & quare Christiani imagines venerantur?

R. Christiani venerantur imagines ideo cum repræsentent aut divinam personam, beatam Mariam Virginem, angelos aut sanctos, cultus autem dirigitur non ad imaginem, sed ad illum, qui per imaginem repræsentatur.

Huic quæstioni jam per §. præcedentem responsum fuit, nempe non imaginibus quasi virtute sua quid possent, sed illorum prototypis cultum esse exhibendum, ut per eorum intercessionem bona eveniant & mala a nobis arceantur; sic mi Christiane venis & collis hanc imaginem beatæ Mariæ Virginis, non puta, quod hæc sit intercessura, ens mortuum est, sed illa intercedet, quæ est in cælis unica: sic dum coram imagine S. Rochi, Apolonix &c. oramus & easdem veneramur, ideo facimus, ut quemadmodum per intercessionem

ho-

horum a variis malis Deus liberavit multos, ita & hos Patronos veneramus, ut illi pro nobis intercedant. Gratia, quas dein sentimus & aquirimus, a Deo sunt, ideo primario ob beneficia accepta Deus adorandus, sanctis autem, qui nos juvarunt apud Deum, omnis honor tribuendus.

II. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

§. 152.

Inter. Quid secundo præcepto prohibetur?

R. Secundo præcepto prohibetur, ne nomen Domini Dei nostri, quovis modo inhonoretur.

Per primum præceptum jubemur Deum pie, sancteque adorare & ab omnibus iis abstinere, quæ vero cultui repugnant, quapropter ex se fluit etiam nomen ipsius esse adorandum & nunquam in vanum assumendum: Nomen autem Dei hic non nude accipitur, prout nomen est, est enim res creata, sed sumitur significatum, Deus nempe omnipotens, sanctissimus, unus in essentia, & trinus in personis. Hoc præcepto prohibetur, ne Dei nomen unquam quovis modo contemnatur & simul præcipitur, ut omni occasione hoc sanctum nomen honoretur ab omnibus.

§. 153.

Inter. Quomodo nomen Dei inhonoratur?

R. Nomen Dei inhonoratur sequentibus præcipue modis.

1mo. Per peccata.

Omnes cogitationes, verba & opera, quæ fiunt præter legem Dei, eundem inhonorant & offendunt, cum autem Deus & nomen ejus unum sit, sine dubio est, omnia peccata nomen Domini inhonorare, ideo ne per peccata nostra nomen Domini inhonoretur, nos monet Deus Levit. c. 22. v. 31. *custodite mandata mea & facite ea; Ego Dominus, ne polluatis nomen meum sanctum, ut sanctificetur in medio filiorum.*

2do. Præcipue per blasphemiam, dum Deus, vera religio & sancti spernuntur.

Blasphemia est locutio contumeliosa in Deum, & fit, cum Deo quid negatur, quod illi convenit, vel imponitur, quod illi non convenit; per hoc imminuitur illius excellentia & bonitas summa, ut si quis cogitaret aut diceret, Deus est injustus, crudelis, necessitatibus non providus, miser, Deus pereat, sit maledictus, irrideatur & hujusmodi, de quibus jam cogitare horret animus; de hoc execrabili blasphemiae scelere Deus Levit. c. 24. v. 15.

loquitur, *homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, & qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur.* Christus Marc. c. 3. v. 28. *amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata - - qui autem blasphemaverit in Spiritum S. non habebit remissionem in æternum;* hoc est sine gravissima pœnitentia & misericordia Dei efficacissima peccatum blasphemix Dei non remittetur.

Sunt & alia signa, quæ ad blasphemiam revocantur, ut deliberate contra tempestatem murmurare, contra dispositionem Dei infrendere; blasphemant in Deum, qui contumeliose loquuntur contra religionem, sanctos & res sacras, cum enim omnia hæc in Deum redundant, qui author horum est, & in sanctis suis laudari debet.

Tam atrox blasphemix scelus jam ab antiquo, exilio, virgis, ferri candentis in utroque labio inustione, & linguæ perforatione, bonorum privatione, & ante fores Ecclesiæ nudis capite & pedibus accensa manibus face, fune e collo pendente, pœna denique capitis punitum fuit.

3tio. Per juramentum non necessarium, aut plane perjurium.

Juramentum est invocatio Dei in testimonium ad confirmandam veritatem, unde ju-

jurare est Deum invocare & assumere in testem, ut quando dicitur, testis est mihi Deus, juro per Deum, vel sicut S. Evangelium verissimum est, sic & quod juro per Evangelia, verissimum est, tam verum est hoc, sicut existit Deus & hujusmodi; juratur etiam per creaturas, ut dum dico, sicut sol, luna, vel illa existit creatura, si quod dico, verissimum est: invoco tali modo Deum, quatenus Author naturæ est; cum hic actus præcipuus sit, per se clarum est, illum non debere fieri, nisi existente gravi necessitate & mandato superioris; juramentum deliberate & vera intentione fieri debet, alias perjurium est; licitum est & sæpius bonum, necessarium cum aliter veritas explorari non possit, unde Deut. c. 6. v. 13. legimus: *Dominum Deum tuum timebis & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.*

Tres autem præcipuas habere debet juramentum conditiones: *Veritatem*, ut jurans certo sciat verum esse, quod dicit aut promittit; *Judicium*, ut cum prudentia, consideratione, maturo examine conscientia, & reverentia juret justitiam; ut juramentum fiat, de re licita, honesta; hæ conditiones tam in juramento assertorio & promissorio adesse debent, de quibus nos admonet Deus per Jeremiam c. 4. v. 2.

Et jurabis, vivit Dominus in veritate Et in judicio, Et in justitia; & Christus de juramento loquens Math. c. 5. v. 34. fit autem sermo vester, est, est, non, non.

Juramento apponitur perjurium, quod tunc fit, quando quis falsum jurat, & Deum mendacem facit, quia illum in testem vocat, & singularem ignominiam falsitatis parit, quod gravissimum peccatum in Deum est, ideo rei perjurii sunt, qui jurant tamquam verum, quod falsum est; qui temere & inconsiderate jurant; qui falsum ex intentione jurant, quod in se verum est; qui promissum jurant cum intentione non implendi; qui ob rem in se malam & illicitam jurant; qui jurare pro quavis re assuescunt; qui æquivocatione utuntur, ut per illam seducant; qui false jurant ex odio, aut nimia in aliquem propensione & non veritatis amore, ex quibus sequitur omne damnum ex perjurio quomodocumque illatum esse resarciendum; porro ut huic actui religionis præcipui nulla fiat tam facilis irreverentia, publici criminatores, latrones, vagi, ad juramentum non sunt permittendi. Caveamus igitur, ne unquam ex alio fine, quam amore veritatis juremus; Deus enim tunc testis invocatur, ideo nos monet Levit. c. 19. v. 12. *non pejerabis in nomine meo, nec pollues*

nomen Domini Dei tui. Specialiter Deus perjuris maledicit, ut Zach. c. 5. v. 3. hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ - - quia omnis jurans judicabitur & Dominus exercituum veniet ad domum jurantis, in nomine meo mendaciter, & consumet eam.

Dum promissa Deo facta non adimplentur.

Inhonoratur Deus ejusque sanctissimum nomen, dum vota non reddimus, gravis ordinarie culpa est Eccl. c. 5. v. 3. legimus, *si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stultitia promissio, sed quodcumque voveris redde, multo melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Hoc sub capite non solum propria, sed & aliena promissa, quæ nobis exequenda sunt, intelliguntur, ut legata pia, elemosinæ, sacrificia & hujusmodi, de quibus exequendis nos obligarunt defuncti parentes, amici, per omissionem enim non solum Deus inhonoratur, sed etiam animarum salus sine dubio retardatur.

5. Dum Dei nomen sine necessitate & debita reverentia semper in ore habetur.

Præcepto hoc prohibetur, ne nomen Dei, Jesu, vel sanctorum in vanum usurpetur,
et-

etfi in se blasphemia non fit; ita affueta est hæc in ore nostro, ut nulla Dies prætereat, ubi non sæpius sine omni causa graviori nomen Domini & sanctorum proferramus, unde nos monet Eccl. c. 23. v. 10. *nominatio vero Dei non fit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis.*

6. Dum verbum Dei falsificatur, vel illo abutatur.

Non opus est, hic loqui de iis Christianis, qui verbum Dei scriptum aut traditum non admittunt, ut Dei sermonem, aut in alios retorquent sensus; de quibus aperte ait Christus Math. c. 5. v. 10. *qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*, hoc est damnabitur: sed inter nos sunt, qui verbo Dei abutuntur, cum conciones, cathecheses, admonitiones audire nolunt, aut corde non suscipiant, alios a verbi Dei auditione quoquo modo arcent & impediunt, aut plane verbum Dei ex curiositate tantum audiunt, irrident, & de illo jocantur; nomen Domini vane tractant, & hujusmodi, de quibus Dominus lamentatur per Isaiam. c. 1. v. 2. *filiis enutrivit, ipsi autem spreverunt me v. 4. dereliquerunt Dominum & blasphemaverunt sanctum Israel.*

§. 154.

Inter. Quid secundo præcepto injungitur?

R. Secundo præcepto injungitur, ut Dei nomen sanctificetur & revereatur.

In præcedenti §. paucis declaratum est, quibus præcipue modis Deus, ejusque sanctissimum nomen inhonoretur, nunc autem quibus præcipue modis nomen ejus honoratur; generaliter ad honorandum Divinum nomen nos monet ipse Deus per Malachiam Prophetam, dicens c. i. v. 6. *filius honorat Patrem, & servus Dominum suum, si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus.*

imo. Per apertam Dei coram toto mundo confessionem.

Quando nempe Deum trinum in personis & Jesum Christum Dominum nostrum, fidem nostram a Christo traditam, & per Ecclesiam suam sancte semper custoditam publice ex charitatis motivo confiteamur & prædicamus, ita ut nulla vis creata neque mors potens sit nos ab hac confessione sincera divellere, de qua Christus Math. c. 10. v. 32. ait: *omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.*

2do. Dum Deum in spiritualibus & corporalibus necessitatibus imploramus.

Quis

Quis alius non juvare poterit in omnibus quæ ad vitam spiritualem sive corporalem pertinent, quam solus Deus, dum igitur eum imploramus, præcipuum honorem & laudem nomini ejus damus, agnoscendo nostram miseriam, & exaltando ejus infinitam majestatem, orando, ut a nobis calamitates, dolores, flagella avertat, salutem animæ & corporis tribuat; unde Dominus Psal. 49. v. 15. ait: *invoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me*, & Psal. 102. v. 2. *benedic anima mea Domino; & noli oblivisci omnes retributiones ejus.*

3tio. Dum juramento ad confirmandam veritatem Deum in testem vocamus.

Juramentum specialem esse religionis actum, quo Dei nomen honoratur, jam §. antecedenti dictum est, ideo hic opus repetere non est.

4to. Dum vota & promissiones Deo factas fideliter explemus.

Tenemur enim, si quis vere vovit, & Deo promissa donavit illa debito tempore & accurate explere: Per quod Dei nomen præcipue honoramus, illius nomini quasi per nostram mortificationem aliquid addendo, unde nos admonemur Deut. c. 23. v. 23. *quod autem simul egressum est de*
la-

labiis tuis, observabis & facies, sicut promifisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es.

sto. Dum verbum Dei devote & diligenter audimus.

Dei nomen laudamus, cum non solum illud ex ore pastorum devote & cum fructu percipimus, sed etiam, dum de Deo, ejusque perfectionibus, Christi passione & misteriis meditamur, & proximum nostrum per bona exempla, hortationes ad audiendum & meditandum verbum Dei excitamus, de quo Psal. 104. v. 1. *confitemini Domino & invocate nomen ejus, annuntiate inter gentes opera ejus v. 2. cantate ei & psallite ei, narrate omnia mirabilia ejus.*

6. Dum omnia ad laudem & gloriam Divini nominis inchoamus & offerimus.

Nomen Domini præcipue glorificamus, dum ipsius auxilium postulamus, ut omnes actiones nostras dirigere dignaretur; honoramus nomen ejus, dum debilitatem nostram agnoscentes, omnium operum nostrorum initium, progressum & finem offerimus, dum cum Davide dicimus Psal. 16. v. 5. *perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea;* laudamus nomen Domini, dum omnia etiam be-

bene facta non viribus nostris, sed Deo tribuimus Psal. 113. v. 1. *non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam.* Ut itaque præcepto huic magno semper debite satisfaciamus; nunquam nomen Domini in vanum assumamus, *sanctum enim & terribile nomen ejus* Psal. 110. v. 9.

III. *Memento, ut diem Sabathi sanctifices.*

§. 155.

Inter. Quid tertio præcepto injungitur?

R. Tertio præcepto injungitur, ut die Dominico, qui a tempore Apostolorum in memoriam dominicæ Resurrectionis, pro die festo est destinatus, a labore quiescamus, & opera pia faciamus.

Ante legem Christi celebrabant Judæi diem Festum Sabatho, Apostoli autem ex septem hebdomadæ diebus primum, quem nunc Dominicum appellamus, cultui divino consecrarunt, quæ mutatio facta est ex ultimo die in primum hebdomadæ seu Dominicum, quia Christus eo die a mortuis resurrexit; & eo die Spiritus S. super Apostolos venit & demum, ut abrogato Judæorum Sabatho antiquo, nihil commune cum iis Christiani habeant, insuper judæos excellent, cum non ultimum, sed primum hebdomadæ diem Deo consecrent.

Non

Non in sola auditione Missæ sacrificii, de quo inferius, cum de præceptis Ecclesiæ agemus, diei Dominicæ sanctificatio consistit, ut multi sibi falso persuadent, sed dies illa integra Deo dicanda, & consecranda est; justum enim est, ut, dum sex dies pro nostris donet necessitatibus, septimam Deo nostro offeramus, etsi nulla dies, nulla hora sine Dei laude, honore permitti debeat, ut in hymno Ambrosiano v. 24. *per singulos dies benedicimus te. Memento*: Verbum ponderosum est, & magnum præceptum quod omnes sub gravi culpa ligat. *Memento* ait Dominus, ut diem Sabbathi sanctifices Exodi: c. 20. v. 8. *sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est, non facies omne opus in eo, & filius & filia tua, servus tuus, & ancilla tua jumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas: sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram - - , & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificavit eum.* Tenetur itaque Christianus præter Missæ auditionem, diebus Dominicis, & festis de præcepto opera religionis, pietatis & charitatis in Deum, & proximum exercere! ut orare Deum, misteria ejus meditari, legere, audire conciones, chatecheses, interesse piis
of-

officiis, Lytaniis, suscipere prout congruum est sacramenta poenitentiae, & Eucharistiae, visitare aegrotos, solari maestos, elemosinam dare, & hujusmodi; *Dominus enim benedixit diei Sabbathi, & sanctificavit eum.* Primævi Christiani, etsi per ferias omnes Deum suum laudaverint & adoraverunt, vix tamen adventum diei Dominicæ expectabant, ut eo præniorem haberent divino servitio, & bonis operibus incumbendi occasionem. Utinam & nos moderno tempore tali ardore flagraremus in Deum, qui jam penè extinctus videtur.

§. 156.

Inter. Quid tertio præcepto prohibetur?

R. Tertio præcepto prohibetur.

I. Omnis servilis labor sine necessitate & legitima licentia.

Cum dies festus totus Deo sit consecrandus, ideoque prohibeatur, ne in eo omne opus faciat, *neque filius, filia, Servus, ancilla, jumentum, & advena*, patet omnia opera servilia esse omnino prohibita, ut artes mechanicæ, & rurales, ædificare, ligna cedere, arare, fuere, jumentis vehere, omne denique opus, quo corpus defatigatur exceptis tantum necessariis, coquere cibis, aquam in eum finem portare,

ju-

jumentis dare escam, quæ in alium diem differri non possunt; ex quibus constat; non solum contra diei festi sanctificationem peccare, qui ejusmodi opera, sine necessitate faciunt, sed & qui subditos ad tale opus faciendum adstringunt.

Sunt tamen causæ, ob quas etiam opera servilia exercere non solum sit licitum, sed & præceptum existente nempe gravi necessitate, sicut si labore nostro ad conservationem proximi, umentorum, & rerum nostrarum opus sit die festo, ut exorto incendio, ubi sine mora adjuvare tenemur: exundante aqua, quæ segetibus & fundis malum minatur fœno jacente, sive, si pluvia imminet, instauratio publicarum viarum, pontium, omnia denique opera, quæ necessitas propria, aut proximi, quæ omitti aut differi nequit, postulat, licita sunt diebus festis: sic & licitum est ut vere pauperes, si sine scandalo sit, clam die festo laborent non prætermisso tamen prius divino cultu, si nullo modo aliter se, & familiam suam sustentare possint; de quibus autem omnibus operibus, nisi in instanti necessitate, ut exorto &c. Episcopus, aut Parochus jure Ecclesiastico est interrogandus & ab iis licentia expetenda, qui si necesse fuerit, unquam denegare possunt, & sic etiam conscientia utri-
que

que tuta redditur. Quod opera fervilia in necessitate etiam diebus festis licite exercentur, clare Christus Math. c. 12. v. 11. cum enim Pharasæi interrogarent, ane liceret currare Sabbatho, respondit eis; *quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, etsi ceciderit hæc Sabbathis in foveam, nonne tenebit & levabit eam? itaque licet Sabbathis bene facere.*

2do. Omnia alia opera, quæ diem festum dehonorant, aut sanctificationem ejus quoquo modo impediunt.

Sunt & alia opera, quæ stricte fervilia non habentur, & die festo prohibentur, ut opera liberalia pictura lucrosa, textura quæcumque, mercatus diebus festis, nundinæ emptio, venditio; prohibentur apertæ sub divino officio tabernæ, prohibetur venatio & piscatio, quæ lucri faciendi causa & immoderate fit, quapropter non excusantur a peccato, qui ante peractum etiam pomeridianum Divinum officium cum scandalo piscantur, aut venantur, prohibentur omnia opera forensia, judicialia, causalia, criminalia. Generaliter itaque omnia prohibentur diebus festis opera, quæ sanctificationi diei opponuntur, nisi ex vera fiant necessitate & licentia Episcopi, aut Parochi. O quam pauci sunt Christiani, qui præcepto huic satisfaciunt, diebus festis ad
lu-

luxum, otium & iniquitates abutuntur, ad has dies quasi studio transferunt peccata sua, quæ tamen Deo consecrari deberent, melius foret pro illis nullum existere festum diem, unde S. Aug. conc. 1. in Psal. 32. *observa diem Sabbathi seu dominicum, non carnaliter, non judaicis delecticiis, qui otio abutuntur ad nequitiam, melius enim utique toto die foderent, quam tota die saltarent, aut alia opera facerent, quæ diem festum dehonorant.* Memento, memento mi Christiane, ut diem Domini sanctifices.

De septem postremis Decalogi præceptis, quæ officia in proximum continent.

IV. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram & bene sit tibi.

§. 157.

Inter. Quæ quarto præcepto injunguntur?

R. Quarto præcepto injungitur, ut proles parentes suos ament, honorent, illis serviant, in omnibus, quæ non sunt contra præceptum Dei, obediant; spiritualibus & corporalibus necessitatibus provideant & pro iisdem orent.

Parentum nomine hinc intelliguntur ii, a quibus geniti sumus, eosdem ex manda-

to magno Dei tenemur diligere summo post Deum amore & reverentia, ab iis enim ortum habemus, & eorum sanguis & caro sumus; ad hunc amorem nos necessario natura ipsa ducit, bestię irracionales progenitores suos amant, quanto magis homo id præstare tenebitur; pulcherrima de amore in parentes exstant sacrarum litterarum testimonia: Joseph filius Jacob patri suo præcipuum dedit honorem & amoris significationem, dum illi obviam iret I. Gen. c. 46. v. 29. *quocum pervenisset juncto Joseph curru suo, ascendens obviam patri suo ad eundem locum, vidensque eum, irruit super collum ejus & inter amplexus flevit.* Salomon rex obviam ivit matri suæ Bethsabee, regio honore illam veneratus, ut I. 3. Reg. c. 2. v. 19. *surrexit rex in occursum ejus, adoravitque eam, & sedit super thronum suum, positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus; ex quibus, quanto in honore habendi sint parentes, satis demonstratur.*

Ultero omnis obedientia parentibus est præstanda, unde prov. c. 1. v. 8. *audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Hoc exemplo ipse Christus filius Dei nobis præibat, dum de illo legitur Luc. c. 2. v. 51. *& erat*
sub-

subditus illis. Apostolus ad Colloff. c. 3. v. 20. imperat, *fili obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est Domino;* hinc tenentur filii eorum consilia exquirere & sequi, & ea omnia secundum voluntatem & beneplacitum perficere, nisi Dei amori, æternæ salutis & charitati proximi contrariantur; non enim obediendum esset parentibus filios ad peccata, furta, mendacia, & ejusmodi instigantibus, *oportet enim obedire magis Deo, quam hominibus* act. c. 5. v. 29.

Filii & filia tenentur in spiritualibus quam corporalibus necessitatibus parentes suos sublevare. Sic filius, si viderit parentes salutem suam non curare, Deum offendere, furta & injustias facere, omni cura & sollicitudine procurare debet in omni mansuetudine & charitate, & non ira aut acerbitate, ut eosdem ad viam salutis & pœnitentiam perducatur, ut aliena restituant & ad pietatem revertantur, Eccl. c. 3. v. 9. *in opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum.* Filii & filia tenentur in infirmitatibus corporis, gravi & misera ætate, egestate, victum procurare, alimenta, vestitum, quantum in se est, eosdem in necessitate nunquam deserere; Eccl. c. 3. v. 14. *filia suscipe senectam patris tui & non contristes eum in vita*

illius, & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua, elemosina enim patris non erit in oblivione; & c. 7. v. 29. honora patrem tuum & genitum matris tuæ ne obliviscaris: memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses.

Filii & filiæ tenentur pro parentibus tam vivis, quam defunctis apud Deum incessanter orare, ut iisdem diuturnam, felicem, tranquillam, lætam vitam donare, eosdem gratiis cœlestibus & necessitatibus temporalibus, omnique benedictione implere dignaretur: tenentur filii & filiæ eosdem omnibus debitis officiis in vita & in morte prosequi, in ægritudine sublevare, visitare, funeris, sepulturæ curam habere, & pro illorum animabus orationes fundere, publicis præcibus & sacrificiis defunctos adjuvare.

§. 158.

Inter. Quænam quarto præcepto prohibentur?

R. Quarto præcepto prohibentur inobedientia erga parentes, odium, contumelia, ignominia, execratio, maledictio, derelictio in necessitatibus, aut damni alicujus procuratio.

Quæ-

Quæcumque honorationi parentum quoquo modo obfistunt, hoc præcepto prohibentur, & sicut ejusmodi erga alios extraneos ob parvitatem materiæ essent levia, ideo autem, quia in parentes comittuntur plerumque gravia sunt delicta: hinc gravis noxæ rei sunt filii & filiæ, si parentes odio habent, aut odii, raro autem amoris signa ostendunt, illos alloqui aut cum iis conversari detractant, non salutant, de iis erubescunt, graviter contristantur, ad iram gravem concitant, si torvo oculo illos aspiciant, crude alloquantur, spernant, irideant, pro stultis habeant, contumeliis afficiant, eorum honori detrahant, monita, consilia & voluntatem contemnant, necessaria illis invito animo procurant aut elargiantur, gravissimæ noxæ rei sunt, qui contra parentes manus extollunt, verberantur, aut plane etsi leviter percutiant, lædant; graviter peccant, si parentes suos in senectute e domibus eorum ejiciunt & illos misere mendicare permittunt, si iis necessaria procurare possent, quæ obligatio non solum ad eum pertinet, qui hæreditavit possessiones, sed & filii & filiæ, servi & ancillæ, dum vident parentes suos egere, eosdem quantum possibile est, adjuvare tenentur; peccant graviter filii & filiæ, qui apud parentes omnino necessarij sunt, eos contra eorum voluntatem deserunt, & illis

fervire recusant, omnia hæc abominatur Dominus; audi fili & filia verba Spiritus S. contra te fulminantia Levit. c. 20. v. 9. *qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur sanguis ejus fit super eum; & c. 30. v. 17. oculum, qui subsanat patrem, & qui despuit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus & comedant eum filii aquilæ; bestię putridæ & pestilenti comparantur proles parentibus suis honorem debitum non præstantes.*

§. 159.

Inter. Quid prolibus præceptum quartum observantibus est promissum?

R. Prolibus præceptum quartum observantibus & promissa bona & diuturna vita.

Specialis promissio a Deo huic præcepto apposita est, *ut sis longævus super terram & bene fit tibi;* promittit igitur longam & quietam vitam, quam Paulus confirmat Epist. ad Ephes. c. 6. v. 2. *honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene fit tibi, & sis longævus super terram.* Experientia scimus, proles inobedientes & malas palam a Deo puniri jam in hac terra, sic bonas & obedientes bonam & quietam

tam vitam agere in omni benedictione, quam Deus promisit Eccl. c. 3. v. 10. *honorat patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat, benedictio patris firmat domos filiorum.* Vita longæva etiam promittitur, plerumque enim diu vivunt ii, qui parentes suos honorant, & sic etiam voluntas & dispositio Divina hos pios liberos a mundo maturius sublevat, fit, ut prius æterna vita fruantur; auferuntur maturius filii & filiæ parentes honorantes, ne habeant occasionem in peccata labendi, cum Deus malam eorum voluntatem prævideat c. 4. v. 11. *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius;* aut ut a malis hujus mundi & pœnis imminentibus, bello, fame, egestate aut magno propinquis imminente malo, calamitatibus liberentur, Isaïæ c. 57. v. 1. *justus perit a facie malitiæ.* Sit jam brevis aut longa vita honorantium parentes suos, verissimam esse promissionem Dei ex eo constat, cum ejusmodi vitam bonam, quietam & abundantem agant in omni benedictione, & post hanc vitam pro charitate & honore in parentes præstito æternam consequantur.

§. 160.

Inter. Quænam pœna præceptum hoc non observantibus imminet ?

R. Non observantes præceptum hoc gravissimis temporalibus & spiritualibus plagis punientur.

Ad maledictiones §. 158. positas accedunt & aliæ pœnæ, quibus cominatur Dominus impiis, ingratisque liberis Prov. c. 20. v. 20. *qui maledicit patri suo aut matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* c. 19. v. 26. *qui affligit patrem & fugat matrem, ignominiosus est & infelix.* Absolon filius regis David maledictionem jam in hac terra sensit a Deo, ut l. 2. Reg. c. 16. v. 11. hic enim scelestus bellum contra patrem suum paravit, ut ipse David conquæritur, dicens: *ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam; & quid factum est; anne probavit Deus malitiam suam? nullatenus sed eandem punivit, jam in hac terra publica calamitate & turpi morte; dum enim super mulum federet Absolon, adhæsit caput ejus quercui, & cum se redimere non posset, tulit c. 18. v. 14. Job tres lanceas in manu sua & infixit eas in corde Absolon.* O quoties lamentantur parentes cum Davide: ecce filius meus, qui egressus

fus est de utero meo, & quærit animam
 meam, me inhonorat, execratur & contu-
 meliis afficit, in egestate, penuria, in fe-
 nectute mea quasi morior, hoc mihi red-
 dit malum pro omni mea cura & sollicitu-
 dine, quam pro illo habui; atamen Deus
 non admittit sine vindicta scelus; dic mihi
 mi Christiane! unde tot mala & miseriæ,
 quæ te in domo tua quotidie cruciant?
 unde peccata & remorsus conscientiæ, quos
 sentis in corde tuo? unde mala vita tua?
 unde hoc, quod post parentes multas ha-
 bueris possessiones & nunc nihil habes?
 quasi non vestem, ut induas, cur Deus
 tibi manifeste maledicit? inquire conscien-
 tiam tuam, & forsan tibi dicet, in misero
 quercu cum Absolon pendeo, misere vivo
 & inquiete, quia parentes meos inhonora-
 vi; quia mandatum magnum, quod dedit
 Dominus, plane non observavi; & quid
 primo in altera vita fiet mecum? quid
 aliud, quam certa damnatio in æternum,
 vere itaque Spiritus S. Eccl. c. 3. v. 18.
 ait: *quam malæ famæ est, qui dereliquit
 patrem, & est maledictus a Deo, qui ex-
 asperat matrem.*

Expositis hoc loco officiis filiorum erga
 parentes, necesse est, ut & e contra pa-
 rum quid loquamur de officiis paren-
 tum erga liberos: Spiritus S. per Eccl.

c.

c. 7. v. 25. *monet parentes; filii tibi sunt, erudi illos, & curra illos a pueritia eorum, filia tibi sunt, serva corpus illarum;* tenentur itaque parentes omnia bona spiritualia & corporalia prolibus procurare, alere & sustentare, vestire, habitationem dare, & tam diu, donec ad illos annos perveniant, ut se ipsos alere possint; ideo tenentur bona sua bene custodire & regere, non omnia ebrietate & luxu consumere, tenentur liberos suos edocere artem statui suo convenientem; tenentur eos quamprimum ad usum rationis venerint, necessaria ad salutem per se vel per alios instruere, eas commonere, ut a vitiis se custodiant & pie vivant, iis occasionem peccati impedire, & cum lacte virtutes & pietatem erga Deum & homines infundere; tenentur illis liberam status sui electionem permittere, & nullatenus ad matrimonia quocumque modo cogere, sicut plerumque fit, non enim eadem in matrimonio beneplacens parentum & filiorum inclinatio est; ideo graviter peccant parentes, cum liberos suos non diligenter custodiunt, illos periculis variis exponunt, bona dilapidant, ut egeant ob incuriam parentum; qui non docent rudimenta fidei aut proles peccatis obnoxios non corrigunt, de eorum salute non sunt solliciti, aut eos nimis rigide tractant, immaniter verberant, malo

exemplo præfunt, aut ad statum aut matrimonium eligendum cogunt; *fili tibi sunt, erudi illos.* O quam magnum erit iudicium parentibus aliquando in illa die, quidquid enim proles tua boni fecit, parentibus imputabitur, qui bene custodierunt liberos, quidquid mali factum est, cum iis luent parentes, cum in educandis filiis & filiabus negligentes erant; ne igitur aliquando causa perditionis liberorum sint parentes, semper præ oculis habeant monitum Spiritus S. prov. c. 23. v. 13. *noli subtrahere a puero disciplinam, si enim percusseris eum virga non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis; & Eccl. c. 30. v. 12. curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum infans est, ne forte induret & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ v. 15. salus animæ in sanctitate justitiæ melior est omni auro & argento, & corpus validum, quam census immensus.*

§. 161.

Inter. Anne hoc præceptum etiam se extendit ad alios quam parentes & proles?

R. Hoc præceptum non solum se extendit ad parentes & proles, sed etiam ad omnes subordinatos, Ecclesiasticos, & temporales præpositos, informatores & eos, qui

senectutis aut authoritatis causa venerandi & honorandi sunt.

Præceptum quartum injungit, ut superioribus omnibus honorem, reverentiam & obedientiam præstemus, sint jam Ecclesiastici, seu sæculares; de hoc mandato aperte docet Apostolus ad Rom. c. 13. v. 1. *Omnia anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt;* & ad Hebr. c. 13. v. 17. *obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* Varii generis sunt superiores in hoc sæculo, quibus obedire tenemur, sunt sacerdotes & pastores animarum, terræ Principes, Magnates, Præsides, Capitanei, Domini bonorum, Patresfamilias & ejusmodi, quorum est officium, ut bene præsent subditis, & quidem pastores & sacerdotes gregem sibi concreditum pascere tenentur verbo, exemplo, prædicatione & sacramentorum administratione, & omnibus iis, quæ spiritualem concernunt vitam, de quibus monet Apostolus 1. ad Tim. c. 4. v. 12. *exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.*

Principes & terrarum Domini tenentur promovere, quæ ad Dei cultum spectant; tenentur Ecclesiam Dei tueri ab omni in-
fen-

fensione, populum sibi a Deo traditum in
 omni pietate & mansuetudine regere, le-
 ges, quæ in bonum religionis & reipubli-
 cæ vergunt, ferre; mala omnia, quæ po-
 pulo imminent, avertere; cuncta denique
 in justitia & æquitate dirigere, subditos
 suos de bonis & capacibus præpositis pro-
 videre; unde monet illos Deus Psal. 2.
 v. 10. *Et nunc Reges intelligite, erudi-
 mini, qui judicatis terram; servite Do-
 mino in timore, Et exultate ei cum tre-
 more; & prov. c. 20. v. 8. Rex, qui se-
 det in solio judicii, dissipat omne malum
 intuitu suo; & v. 26. dissipat impios rex
 sapiens. v. 28. misericordia Et veritas
 custodiunt regem, Et roboratur elementia
 thronus ejus.*

Quod de principibus terræ dicitur; hoc
 suo modo observandum est, omnibus po-
 testatibus & Dominis terrestribus, & judi-
 cibus, quorum est cultum Dei primario
 promovere & mala spiritualia avertere,
 punire, pauperes, viduas, pupillos tueri,
 causas diligenter cognoscere & examinare,
 unicuique suum tribuere, omnia in chari-
 tate & justitia administrare; de quibus scrip-
 tum est Deut. c. 1. v. 15. *tuli de tri-
 bus vestris viros sapientes Et nobiles,
 Et constitui eos Principes, Tribunos Et
 Centuriones, Et Quinquagenarios ac De-*
 ca-

canos, qui docerent vos singula, præcepi-
que eis dicens; audite illos, & quod justum
est judicate, sive civis sit ille, sive peregri-
nus, nulla erit distantia personarum, ita
parvum audietis, ut magnum; nec accipie-
tis cujusquam personam, quia Dei judi-
cium est.

Domini aut Patresfamilias tenentur
subditos suos cum benevolentia & charita-
te prosequi, unde Eccl. c. 7. v. 23. *ser-
vus sensatus fit tibi dilectus, quam ani-
ma tua, non defraudes illum libertate;*
& Paul. ad Coloss. c. 4. v. 1. *Domini,*
quod justum est & æquum servis præsta-
te: scientes; quod & vos Dominum ha-
betis in cælo. Domus curam habeant, ut
subditi eorum omnia ad majorem Dei glo-
riam operentur, errantes corrigant, &
plane non emendantes e Domibus pellant,
ne æternum damnentur juxta Apostolum
1. ad Thim. c. 5. v. 8. *si quis suorum*
maxime domesticorum curam non habet,
fidem negavit & infideli est deterior. Omnis
generis superioris itaque potestatem a Deo
habent, & ideo curam gerere & rationem
subditorum Deo dare debent: *durissimum*
enim judicium his, qui præsent, fiet.
Sap. c. 6. v. 6.

§. 162.

Inter. Quænam subditi tenentur præstare præpositis & superioribus ?

R. Subditi tenentur eandem reverentiam, honorem & obedientiam præpositis suis, sicut liberi parentibus; quæ igitur respectu parentum & liberorum præcipiuntur aut prohibentur, eadem respectu superiorum & subditorum præcepta & prohibita sunt.

Pastoribus suis spiritualibus reverentiam & obedientiam præstare tenentur oves, eosdemque honorare; de quibus Christus Luc. c. 10. v. 16. *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit;* & iterum Math. c. 10. v. 13. & 14. *benedicit & maledicit iis, qui sacerdotes suos susceperint aut non susceperint in honore, dicens: si quidem fuerit domus digna veniet pax vestra super eam, & quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.*

Subditi tenentur Imperatori, Regi aut Principi suo omnem honorem & obedientiam & reverentiam: nos monet Petrus 1. Epist. c. 2, v. 13. & 17. *subjecti estote omni*

omni humanæ creaturæ propter Deum, five Regi quasi præcellenti, & Regem honorificate. Præter honorem tenemur mandatis ejus obedire & illa exequi propter Deum, ab illo enim in nos potestatem habet, ideo nos Paulus monet *Epist. ad Rom. c. 13. v. 5. ideo necessitate subditi estote non solum propter iram seu pœnam temporalem, sed etiam propter conscientiam propter Deum; & v. 7. reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem; quod & de aliis inferioribus, superioribus a terræ principe constitutis ministris intelligendum est, suo enim nomine imperant, & mandata exequuntur. Sicut igitur superius peccati gravis rei sunt, qui gravius parentes inhonorant, sic & subditi superiores inhonorantes graviter contra mandatum Dei peccant; honora igitur parentes & præpositos tuos, & hic bene & ibi æternum vives.*

V. Non occides.

§. 163.

Inter. Quænam per quintum præceptum prohibentur,

R. Per quintum præceptum prohibetur, ne nos ipsos occidamus, nec proximum, ne-

neque quocumque modo nos ipsos, aut proximum lædamus.

Solum hic hominis occisio sumitur, non autem animalium, super quæ Deus dedit hominibus potestatem, ut iis fruantur, Gen. c. 9. v. 3. *omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum.* Hoc præcepto non solum nudum prohibetur homicidium, sed quæcumque corporis humani læsio, ut mutilatio vulnera, verbera, abortus & ejusmodi, quæ *corporalis* appellatur occisio. Nulli licet unquam occidere hominem aut seipsum, aut quo quo modo lædere corpus suum, aut proximi, cum nullus sit Dominus sui, aut alterius corporis, sed solus Deus & quibus dedit potestatem; unde Dominus Deut. c. 32. v. 39. *videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me, ego occidam, & ego vivere faciam, ego percutiam, & ego sanabo;* & Paul. ad Rom. loquens de terræ principibus, ait: *Dei enim minister est tibi in bonum, si autem malum feceris time, non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit;* habent igitur terræ principes, & quibus ii comittunt potestatem ob bonum communitatis membra nociva e medio tollere, si qui autem alii hoc facere præsumunt, contra præceptum quintum peccant.

Hinc

Hinc quicumque sine legitima potestate & cum advertentia hominem occidit, reus homicidii est, & delictum secundum circumstantias personæ, locorum, gravius est. Homicidium committunt, qui principes, Dominos suos, etsi malos occidunt, qui se ipsos occidunt, aut mutilant; digitos abscindunt; dentes eradicant; vulnera studio parant, ne militiæ serviant, aut venenum sumunt; suam deliberate sanitatem non curant; qui per inordinatam vitam, crapulam, ebrietatem, libidines sese occidunt; qui sese imoderate defendunt; homicidii rei sunt duellantes sese morti manifeste exponentes; homicidii rei sunt, qui tam fœtus animati, quam inanimati abortum procurant, aut consilio & opere juvant, aut tales medicinas sumunt, ex quo abortus fieri possit; homicidii rei sunt ii, qui latrones & homicidas non capiunt & potestati tradunt, ut majus malum avertatur; qui proximo in extrema necessitate non succurrunt, cum causa mortis evadunt; homicidii rei sunt Medici, Chirurghi, Pharmacopœ, ex quorum negligentia & imperitia homo perit, quæ de corporali solum occisione dicta sunt.

Contra præceptum quintum agunt & parentes, præceptores, Domini, qui filios suos, subditos suos immoderate & cum

gra-

gravi damno corporis verberant & castigant, crudeliter lignis aut ferro cædunt, & hujusmodi.

§. 164.

Inter. Quænam adhuc per quintum præceptum prohibentur.

R. Per quintum præceptum prohibentur adhuc ira, odium, scandalum, & omnes in proximum offensæ.

Non sufficit solum, ut a reali cæde & mutilatione abstinenceatur, sed oportet animum ab omnibus affectibus, qui illuc tendunt, avertere & cohibere; unde enim homicidium ortum suum ducit, quam ab ira & odio, qui sunt inordinati vindictæ & damni appetitus, qui sanguinem proximi fitiunt. Prohibetur hoc præcepto omnis sui desperatio, pusillanimitas, invidia, convitia, vituperia, derisiones, calumniæ, detractiones, inimicitia, cupiditates, avaritiæ & hujusmodi, ex quibus omnibus homicidia & proximi læsio ortum suum ducunt; huic accedit scandalum, quod est ruina spiritualis proximi, non enim solum homicidii rei sunt, qui corpus, sed & qui animam occidunt; de quo ait Christus Math. c. 18. v. 6. *quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria*

in collo ejus & demergatur in profundum maris; vœ mundo a scandalis: necesse est enim, ut veniant scandala, veruntamen vœ homini illi, per quem scandalum venit. Quod iterum gravius vel levius scelus est, prout major aut minor ruina proximo paratur, aut bonum, per quod proximus a malo custodiretur, omititur.

Scandali rei sunt, quicumque tale opus coram proximo faciunt, quod est contra legem Dei & Ecclesiæ, aut principis terræ, quia alios ad transgressionem seducunt & aliciunt; qui alios ad rixas, contentiones & conspirationes incitant; qui jussu suasio- ne, consilio præcibus ad peccatum inducunt; qui falsas spargunt doctrinas & contra fidem sermones; qui publice detrahunt proximo, mentiuntur, in peccatis sine pœnitentia vivunt, in cultu Dei sunt desides, potatores, criminatores, blasphematores, incasti, incontinentes, lascive loquentes, corpus suum & vestimenta ad impuritatem & complacentiam præparantes; scandali rei sunt, qui domos suas locant, ut conventicula fiant peccaminosa; occasionemque peccatorum ad manus porrigunt; qui cantilenas obscœnas cantant; scandali rei sunt, qui publice injustitias, furta & damna perpetrant, triticum aut vinum præ Dominis
ab-

abscondunt in decimis & hujusmodi, spiritualiter enim per hos actus homo in anima occiditur, dum ad peccatum allicitur. Non ideo excusare te o homo poteris, dicendo si aliis licet, etiam mihi licebit; si enim proximus tuus peccat, non ideo & tu peccare audes, si ille damnabitur, anne & tu damnari vis; memineris ergo mi Christiane comminationis salvatoris & judicis tui dicentis: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.*

§. 165.

Inter. Quænam quinto præcepto injunguntur.

R. Quinto præcepto injunguntur:

1. Pax & unitas cum omnibus etiam iis, qui nos offendunt.

Quinto præcepto non solum prohibentur cædes, homicidia & mutilationes corporales, occisio animæ, ut superius diximus, sed comendantur insuper eximie virtutes, pax & quies, humanitas & mansuetudo, concordia, unitas, patientia in adversis, & inimicorum dilectio, ideo Christus Math. c. 11. v. 29. nos docet: *discite a me, quia mittis sum & humilis corde,* & c. 5. v. 4. 9. promittit æternam beatitudinem, qui has virtutes exercuerint: *beati mittes,*

niam ipsi possidebunt terram, beati, pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

2do. Bonum exemplum.

Sicut enim scandalum mors animæ est, sic virtutes & bona exempla sunt vita & ædificium æternæ salutis; oportet igitur nos prælucere aliis, ut per hoc peccatum devitetur, & gloria Dei magis semper exaltetur; quod Christus Math. c. 5. v. 16. præcipit, dicens: *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.*

3. Denique præcipitur, ut proximo spiritualia & corporalia beneficia præstentur.

Sicut enim omittendo in proximum nostrum virtutes, pacem, humilitatem, patientiam, amorem, bonum exemplum contra præceptum peccamus, cum quodammodo proximum occidimus, sic, ut huic præcepto satisfaciamus, oportet & spiritualia & corporalia in proximum exercere beneficia; igitur inimicos diligamus & pro illis oremus necesse est; proximo nostro succurramus in suis etiam corporalibus necessitatibus; ad hæc officia nos monet Christus Math. c. 5. v. 24. dicens: *qui petit a te, da ei, & volenti mutuari a te, ne avertaris. v. 44. diligite inimicos vestros, benefacite his, qui ode-*
runt

runt vos, & orate pro persequentibus
& calumniantibus vos.

VI. Non mœchaberis aut libidine vaces.

§. 166.

Inter. Quanam sexto præcepto prohibentur?

R. Sexto præcepto prohibentur omnes cogitationes, verba & opera impura, & omnia ea, quæ ad libidinem incitant.

Prænotandum est, ideo solum hoc præcepto machiæ scelus prohiberi præcipue, quia præter turpitudinem, quæ cum aliis incontinentiæ speciebus communis est, iniustitiæ peccatum conjungitur ob thori matrimonialis violationem; non itaque solum adulterium, sed & omnes luxuriæ species voluntarie, & cum plena advertentia committæ hoc præcepto prohibentur; de quibus in genere Apostolus ad Gall. c. 5. v. 19. *manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.* v. 21. *quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Hæc opera carnis, quantum loqui decet, sunt sequentia: *fornicatio*, quod est peccatum soluti cum soluta; *stuprum* cum in-

innocente; *raptus*, dum vi, aut magnis fiat abductio illecebris; *Incestus* cum confanguineis & affinibus carnalibus & spiritualibus; *sacrilegium*, violatio personæ sacræ, rei sacræ, aut in loco sacro; *adulterium*, cum aut utraque vel una pars sit matrimonio juncta, gravius est aliis, cum præter luxuriæ peccatum adhuc crimen injustitiæ comittitur, cum uxorati potestatem corporum inter se solum ad invicem habeant; porro hoc præcepto peccata contra naturam gravissime prohibentur, ut *mollities*, quæ est quivis pravus proprii, aut alterius corporis peccaminosus usus; *sodomia*, cum eodem sexu peccatum; *bestialitas* omnis nempe cum animantibus irrationalibus cogitatio, aut actus libidinosus. Prohibita porro sunt hoc præcepto, ex libidine procedentia, desideria impudica, aspectus, amplexus, tactus, oscula, gestus turpes eum in finem, ut proximus ad luxuriam incitetur, scandalosi sermones, cantilenæ, quibus omnibus participant, qui quocumque modo hæc illicita fovent, consilio, re aut occasionem dant, aut non prohibent, vident, & non impediunt, quod tamen ex charitate tenentur.

Omnes itaque cogitationes, verba & opera cum advertentia contra castitatem & rectum naturæ ordinem facta excepto lici-

to matrimonii usu, prohibita sunt, quod ex sacra scriptura, adductis tantum aliquot textibus probatur, Christus Math: c. 5. v. 28. *ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam jam mæchatus est in corde suo; & Prov. c. 6. v. 32. qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam, turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur* 1. Cor. c. 6. v. 9. *an nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nollite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, regnum Dei consequentur; & ad Ephes. c. 5. v. 3. fornicatio autem, & omnis imunditia - - aut turpitudine, aut stultiloquium nec nominetur in vobis, hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.*

§. 167.

Inter. Quænam ad libidinem impellunt?

R. Ad libidinem impellunt luxus vestium, otium, gulla, conversatio nimia cum diverso sexu, oculorum non custodia, obscænorum librorum lectio.

Has esse libidinis causas, Ezech. c. 16. v. 49. legimus: *ecce hæc fuit iniquitas*

So-

Sodomæ, superbia, saturitas panis & abundantia & otium ipsius & filiarum ejus; ad libidinem incitat gula, ebrietas, quod Jerem. c. 5. v. 7. saturavi eos & mechati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur; & Apost. ad Ephes. c. 5. v. 18. nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Causa libidinis est nimia cum altero sexu conversatio, non ea, quæ necessario fieri debet, ut laboris & rei familiaris gratia, sed ea, qua ex fine malo diverso sexui adhæremus, blandimur & signa lasciviæ prodimus; ideo monemur Eccles. c. 42. v. 12. Omni homini noli intendere in specie, & in medio mulierum noli comorari, de vestimentis enim procedit tineam, & a muliere iniquitas viri; lectio librorum ad libidinem incitantium, aut sermones lascivi causa sunt libidinis, ait enim Apost. 1. Cor. c. 15. v. 33. nollite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala.

Præter æternas poenas, quas pro gravitate majores sustinebunt libidini dediti homines, jam in hoc sæculo variis afficiuntur corporalibus & spiritualibus malis; corpus enim illorum languet & ordinarie depravatur, certis morbis afficitur; ob peccatum libidinis Deus integras punit familias, civitates & provincias, ut in V. T. de Sodomis legitur. Accedit morbus animæ,
ob-

oblivio Dei, cœcitas mentis, obduratio cordis, præcipitatio, affectus in opera carnis, ita ut Deus penitus postponatur; timor & tremor ob futurum sæculum, desperatio de salute, impœnitentia & religionis contemptus: hæc tristes sunt sequellæ peccati luxuriæ & libidinis, hinc Prov. c. 5. v. 4. Spiritus S. ait: *novissima illius amara, quasi absynthium & accuta quasi gladius biceps, pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant; & c. 7. v. 26. multos enim vulneratos dejecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea, via inferi Domus ejus, penetrantes in interiora mortis.*

§. 168.

Inter. Quænam sexto præcepto injunguntur?

R. Sexto præcepto injunguntur mentis ac corporis & cogitationum, verborum & operum sancta puritas, fugaque periculosa-
rum occasionum.

Sicut enim maximo odio sunt in conspectu Dei opera carnis, de quibus superius, sic præcipue diligit Deus mentes puras & pura corpora, vult enim, ut nos tanquam Dei imagines & membra Christi corpori & pulchritudini ejus conformemus, ideo Apostolus Epist. 1. ad Theſ. c. 4. v. 3.

ait:

ait: hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum.

Remedia contra libidinem sunt oratio frequens & humilis, jejunium, carnis maceratio, fuga otii, elemosinæ & alia charitatis opera, frequens confessio peccatorum, Ss. Eucharistiæ communio, auditio concionum & verbi Dei, lectio piorum librorum, meditatio mortis, meditatio passionis Christi, abstinentia a nimio potu, & fuga occasionum, in quibus ordinarie homo labitur. Occurrente tentatione, quibus & sancti piique homines cruciantur, cogitare oportet, ubique præsentem esse Deum, qui omnia videt; tentationibus ejusmodi non est concedendum tempus, sed statim compescendi appetitus; neque quis sese excusare poterit, hoc facere non posse, facienti enim quod est in se Deus non denegat gratiam, qua omnes possunt abigi carnis tentationes, claram horum habemus Apost. ad Cor. 2. c. 12. v. 7. doctrinam, ubi de ipso ait: *datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, & dixit mihi:*
suf-

sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.

VII. Non furtum facies.

§. 169.

Inter. Quæ septimo Decalogi præcepto prohibentur?

R. Septimo Decalogi præcepto prohibentur furtum, deceptio in statera & pondere, retentio alieni boni, mercedis, usura & quævis damnificatio proximo in bonis & juribus suis facta.

Furtum est rei alienæ ablatio invito rationabiliter Domino; committitur furtum, dum res, quæ mea non est, sed alterius contra rationabilem voluntatem illius, ad quem spectat, auferitur: non autem solum furti nomine oculata ablatio rei intelligitur, omnis injusta damnificatio, detentio, destructio aut omissio, ex quibus damnum proximo in bonis inferitur; de quibus Apost. ad Cor. 2. c. 6. v. 10. *neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt*; variæ autem furti species, ut *furtum simplex*, quo privatus privato quid addimit; *Peculatus*, quo publicæ pecuniæ principi, aut communitati spectantes auferuntur, aut vectigalia & tributa defraudantur; *Plagium*, quo homo liber alie-

alienus in servitutem abducitur, permutatur & venditur; *sacrilegium*, quo res sacra eripitur, vel etiam profana, loco sacro aut pecuniæ auferuntur, vel argentum, aurum, tella, suppelectilis Ecclesiæ, quæ Divino & sacrorum cultui sunt mancipata; *Abigeatus*, quo animalia, oves, boves, equi & volatilia auferuntur; *Rapina*, qua præsentem & videntem Domino vi aliquid auferitur, quod magis furto delictum est, nam insuper, quod furtum comittatur, adhuc contumelia proximus afficitur: rapinæ scelus comittunt, qui insuper mercedem justam operariis retinent, aut exsolvere gravantur.

Furtum quodcumque ex genere suo mortale est: *neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt*; nisi materiæ parvitas excuset, cum nempe leve damnum proximo inferitur; & pariter nullum grave mallum exinde oriatur; ut facilius intelligatur, exemplum apponitur: acus futoria parvi pretii est, illius ablatio id circo gravis non erit, poterit autem ob secutum grave damnum gravis fieri: futor, cum illi abstuleris acum, non laborare consequenter se & familiam sustentare non potest, cum aliam statim habere non possit acum; vides ergo non ob acum, sed ob damnificationem injustam furtum grave esse delictum: Sic parvum furtum ratione scandali grave esse

potest, ut dum prævideas proximum tuum ideo esse blasphematurum, aut gravi mœrore & dolore afficiendum.

Quantitas autem materiæ gravis secundum commune doctorum iudicium statuitur, quando nempe alicui tantum auferatur, quantum pro unius diei sustentatione statui suo congruente necessarium est, sive dein pauperi aut diviti auferatur.

Graviter peccant pauperes, qui etsi diviti-
bus, quibus in toto grave damnum non est,
furripiunt, cum res prætio æstimabilis sit: qui
per plura leviora furta uni aut pluribus nota-
bile quid abstulit, quia simul sumptum mul-
tum efficit, & communitati graviter no-
cet, ut mercatores, caupones, qui ponderi-
bus, stateris & mensuris dolosis plus ju-
sto pretio vendunt, peregrinis quod placet
anumerant; audite Dominum Prov. c. 11.
v. 1. *statera dolosa abominatio est apud
Dominum*; furti rei sunt servi & ancillæ,
quæ res Dominorum suorum sub titulo
compensationis pro labore furripiunt, plus
enim quam convenerant inter se Paterfami-
lias cum servo non tenetur; furti rei sunt ar-
tifices, opifices, operarii conducti, qui debi-
tam operam in conficiendo labore non dede-
runt aut otiabantur, aut res & bona debite non
custodierunt; furti rei sunt, qui mendacio
aut fallaci modo peccunias aut bona ex-

torquent, cum restituere non possint, neque cogitent; furti rei sunt, qui ad opus aliquod, vel inspectionem eliguntur, aut locantur ad æstimationem rerum, fundorum, damni & hujusmodi, ut sunt servi superiores dominorum, decimatores, æstimatores, qui ob modicum vini sapius animam suam perdunt, Dominis, hæredibus proximo magno sunt nocumento; furti rei sunt, qui res inventas Domino non tradunt, aut diligenter Dominum non exquirunt, in silvis ligna cadunt, fructus auferunt, quin sint in extrema necessitate: qui venantur aut piscantur in terris & aquis alienis, vel columbaria publica habent in nocumentum segetum, aut ideo tenent, ut alienas aliciant columbas; qui jumenta non bene custodiunt, ut sint damno campis, aut qui proritus aquæ pro possibili non custodiunt; furti rei sunt omnes & singuli, qui jussu, suasionem, consilio, consensu, conniventia, silentio, patrocinio, approbatione, precibus, adulatione, furto aut injustitiæ cooperantur.

Rapinæ rei sunt, qui justam mercedem servis & operariis non dant, aut differunt; qui principibus terræ & Ecclesiæ præsidibus tributa, decimas surripiunt, occultant, intervertunt, unde Christus Math. c. 22. v. 21. expresse docet, dicens: *reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.*

Ra-



Rapinæ rei sunt, & inter primi generis fures numerandi, publici usurarii, qui pauperes premunt, & plus æquo majorem censum ab illis expetunt, etsi consensus sit debitorum, quibus ait Proph. Amos c. 8. v. 4. *Væ, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ.* Sanguisugæ tales sunt immisericordes, qui alienis pecuniis & bonis divitias suas augent, & bona sua dilatant, de quibus Deus per Isaiam conquæritur c. 5. v. 8. *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis - - numquid habitabitis vos soli in medio terræ;* rapinæ rei sunt, qui subditis suis plus æquo imponunt; ab illis exigunt, illos injuste expoliant; qui domos incendunt, agros devastant, pupillos & viduas bonis suis quoquomodo defraudant, aut debitam curam super illos negligunt, judices & potestates, quæ studio partium aguntur, aut ex inscientia damnum subditis inferunt, pariter accusatores falsi, mendaces, qui proximo nocent, omnes hi raptores & fures sunt.

§. 170.

Inter. Quænam septimo præcepto injunguntur.

R. Septimo præcepto injungitur unicuique suum dare, & permittere, ablata restituere & damnum resarcire.

Na-

Naturali ratione edocemur unicuique suum esse tribuendum, sicut enim mihi placet ut mea nulla lædantur injuria, sic & ego unicuique suum permittere teneor, juxta illud, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris & vicissim; præterea cum fur nullum jus in injuste ablata possidere possit, ex se fluit teneri ad restitutionem, ad quam primario tenetur, qui furatus est, illo impotente ad furti conscios, & hæredes, & si non in totum, saltem ad partem, & si dominus inveniri non potest, ad pios usus ejusmodi bona sunt applicanda, quod autem semper salvo meliori confessarii judicio præsertim apud plebejos fiat; hoc & de damno factò est intelligendum, si autem restitutio plane sit pro præsentis & futuro impossibilis pro damnificatis opera pia & orationes faciendæ.

Tenentur ad restitutionem fures, rapaces, usurarii &c. non solum rerum seu pecuniarum, sed & omnium fructuum, quæ ex his percipi poterant, aut percipiebantur, Domino enim fructificant; quod pariter de omissione est intelligendum, per quam lucrum cessavit, & res deterior facta est; tenentur restituere, si quæ negligentia & incuria, aut ignorantia perierunt, nisi casu quid pereat incendio repentino, aut vi, quod enim casu perit, Domino perit.

perit; tenentur ad restitutionem ultra fortem licitam exigentes usurarii, caupones, si plus æquo peregrinos & hospites defraudarint; tenentur ad restitutionem parentes, qui bona liberorum dilapidarunt, aut vicissim liberi bona parentum; servi & ancillæ, quæ sine permissione heros suos spoliarunt, qui venditione & emptione animalium aut cujuscumque mercis proximum deceperunt, quod & de opificibus, artificibus, operariis est intelligendum.

Quæ autem restitutio, quam primum fieri debet; toliter autem hæc obligatio per condonationem, quivis enim suorum liberam habet dispositionem; ne autem restitutio cedat in damnum honoris & famæ, hæcce quantum possibile est, in secreto fiat ordinarie per confessarium, qui simul pro tempore & circumstantiis locorum & personarum, quid faciendum sit, judicabit, unde moneo vos per Jesum Christum D. N. nollite esse fures, rapaces & injusti, hi enim regnum Dei non possidebunt.

VIII. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

§. 171.

Inter. Quænam octavo Decalogi præcepto prohibentur?

P

R.

R. Octavo præcepto prohibentur falsum testimonium, falsæ accusationes, mendacia jocosa & officiosa, calumnia, detractio, falsa suspicio, temerarium iudicium, susuratio.

Quamvis hoc præcepto prohibeatur quæcumque animi in proximum falsitas & fallacia, præcipue tamen interdicitur testimonium falsum in iudicio prolatum, cum hoc non solum Dei nomen inhonoretur, ut secundo præcepto discernimus, sed adhuc proximo damnum infert; huc referuntur accusatores falsi, rei, reorum fautores, patroni, cognati, advocati, iudiciorum administratores, male contra proximum iudicantes, de quibus Prov. c. 6. v. 16. *sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes, innoxium sanguinem: cor machinans cogitationes pessimas - - proferentem mendacia, testem fallacem.* Mendacium porro perniciosum, officiosum & jocosum hoc præcepto prohibetur, summo enim & veracissimo Deo etiam jocosum mendacium iniquitas est; concedi ergo nullo modo potest admonente Christo Math. c. 5. v. 37. *fit autem sermo vester, est, est, non, non, quod autem his abundantius est, a malo est.* Prohibetur calumnia, qua cui, quid falsi affingitur, detractio, contumelia, falsa

fa suspicio, temerarium iudicium, susurratio, adulatio, jactantia, hypochripsis, laudatio, tergiversatio, restrictio mentalis, os bilingue, his, qui talia agunt infernus paratur, Psal. 5. v. 7. *perdes omnes, qui loquuntur mendacium, virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus; & Levit. c. 19. v. 16. non erit criminator, neque susurro in populo; & Apoc. c. 21. v. 8. omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.*

Falsi testimonii rei sunt falsi testes coram iudicio, qui ad perversionem proximi male testantur; his adjunguntur, qui falsa instrumenta comparant, aut vera adulterant, aut eadem dissimulant, abscondunt; præter gravissimum delictum tenentur ad restitutionem omnium; falsi testimonii rei sunt, qui coram iudice testantur, de quo vere non sciunt, sed solum ex auditu habent; rei in iudicio adducti, cum jam expressa indicia adsint & semiplena probatio, peccant, si veritatem interroganti iudici non dicant, cum Deo supremo iudici & testibus injuriam faciant, & etsi morte plectantur, mentiri non audent; tenetur reus etiam complices revelare, si etiam de iis jam probatio adsit, & a iudice legitime interrogetur; rei sunt falsi testimonii, qui quomodocumque mentiuntur, & aliter lo-

quantur, quam sentiunt; huc referuntur simulators, adutores, laudatores & susurriones periculossimum genus hominum, qui proximum exterius extollunt ad astra, interius autem pessimæ sunt voluntatis; quibus Isaias c. 5. v. 20. minatur, dicens: *væ, qui dicitis malum bonum & bonum malum, ponentes lucem tenebras, ponentes amarum in dulce & dulce in amarum*; hi sunt, qui falsis laudibus blandiuntur aut veris delectant, ut homines pervertant, alliciant, & in superbiam detrudant; ex quibus autem non sequitur, nunquam laude posse dignos prosequi, id semper licitum & bonum est, si nullo malo fine, sed ad reipublicæ & christianitatis incrementum & majorem Dei gloriam, qui in creaturis suis bona operatur, fiat; falsi testimonii rei sunt, qui libros erroneos scribunt contra fidem & bonos mores, aut taliter docent, & veritatem transvertunt; falsi testimonii rei sunt & graviter delinquentes, qui temeraria ferunt de proximo judicia, suspiciones, contra justitiam & charitatem peccant, cum quivis homo a natura sua ad bonum nomen suum jus habet, quod secundum circumstantias personæ, temporis, loci, & rerum plus aut minus læditur: ideo breviter pro fundamento salvatoris nostri Jesu Christi admonitum Math. c. 7. v. 1. præ oculis habendum, *nollite ju-*

judicare, ut non judicemini, in qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis; & Paulus ad Rom. c. 14. v. 4. tu quis es, qui judicas alienum servum, Domino suo stat aut cadit; de iis, qui publice sunt detrahentes suspiciosi, & quorum lingua gladius acutus, Spiritus S. ait, Eccl. c. 10. v. 3. in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat.

§. 172.

Inter. Quenam octavo præcepto injunguntur?

R. Octavo præcepto injungitur veritas sinceritas in sermone & opere, defensio bonæ famæ proximi, revocatio calumniæ & detractionis.

Cum justitia & charitas postulet, ut non solum proximum ab omni injuria custodiamus, sed & charitate prosequamur, patet hoc præcepto nobis injungi, ut veritatem semper cogitemus, loquamur & faciamus; sicut quivis bono nomini & bonæ famæ studet, quæ unicuique Christiano æque chara, quam vita est, oportet ut & nos de proximo nostro semper bene cogitemus, loquamur, nisi de sceleratis, aut judicia publica & prudentum communis sensus contrarium sentiat & agnoscat, in quo tamen

ca-

casu, non studio aut ex odio, sed amore æquitatis veritas est edicenda; si quid proximo detraximus aut calumniavimus, revocare omnino necesse est; sicut enim in furto non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sic & bonum nomen, honor, coram iis est restituendus, ubi detraximus, & hoc sine omni dispensatione, nam potest contingere rem furto ablatam non posse restituere, attamen bonum nomen & fama semper restitui potest ac debet.

Meminerimus sæpius ob malam linguam & sermonem esse innumeros hic & ibi infelices: caveamus igitur ne nobis hoc contingat; admonet Spiritus S. Prov. c. 18. v. 6. *labia stulti miscent se rixis, & os ejus jurgia provocat, os stulti contritio ejus, & labia ipsius ruina animæ ejus, verba bilinquis, quasi simplicia & ipsa perveniunt usque ad interiora ventris;* & Eccl. c. 28. v. 15. *susurro & bilinguis maledictus, v. 28. sepi aures tuas spinis, linguam nequam nolle audire, & ori tuo facito ostia & seras, v. 30. & attende ne forte labaris in lingua;* ut eo facilius a lapsu linguæ absterreamur, revolvamus sæpius mente Christi effatum Math. c. 12. v. 36. *dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, ergo multo magis peccaminosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.*

IX & X. *Non concupisces uxorem proximi tui. Non concupisces proximi tui agrum, non servum, non ancillam, & universa, quæ illius sunt.*

§. 173.

Inter. Quænam duobus postremis Decalogi præceptis prohibentur?

R. Dua postrema præcepta prohibent omnem concupiscentiam alienorum.

Anterioribus præceptis prohibemur malum cogitare, loqui & facere, quæ autem cum non fiant, nisi præcedat mali concupiscentia, etiam hanc Dominus Deus supremus legislator prohibuit duobus postremis mandatis; *concupiscentia* autem est motus animi, quo ad appetitionem alicujus objecti ferimur; objectum illud aut ex natura bonum aut malum est; bonum hoc loco non improbatur, imo omni studio commendatur, de quo Psal. 37. v. 10. *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus non est a te absconditus*, sed malum prohibetur, de quo Eccl. c. 18. v. 30. *post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere*; quæ mala concupiscentia duplex est, nempe *carnis & mundi*, hoc est libidinis luxuriæ, & rerum terrenarum; ideo nonum præceptum prohibet concupiscentiam uxoris, seu in-

con-

continentiam, & decimum concupiscentiam, qua terrena appetimus modo inordinato, ex quibus fit, ut consentiendo appetitui & voluntati nostræ legem transgrediamur.

Intelligendum autem est concupiscentiam, quæ ob peccatum in corpore nostro habitat, non esse per se peccatum, nisi deliberate in concupiscentia moremur, & hæreamus, quod Paulus ad Rom. c. 6. v. 12. ait: *non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*, & Jac. c. 1. v. 14. *unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.* Exstat igitur in nostro mortali corpore concupiscentia carnis & mundi, quamdiu vixerimus; attamen obedientia illi non est præstanda, & a conceptu peccati per concupiscentiam est cavendum: hanc concupiscentiam sanctissimi etiam viri sentiunt, de qua fatetur Apostolus solus ad Rom. c. 7. v. 23. *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.*

Concupiscentia itaque malorum prohibetur, vult enim Deus, ut cum a natura ad corporis voluptates, ac terrena bona, divitias proclives simus, etiam affectus & de-

desideria in nobis extinguantur: fomes peccati, improba voluntas, cupiditas & inordinati motus suffocentur; peccant itaque ii omnes contra duo postrema præcepta, qui pravis motibus, illicitisque rebus delectantur & assentiuntur, qui carnis temptationibus non obstant, qui divitias avidè cupiunt, alienæ felicitati, opibus, statui invident & suis nunquam contenti sunt, diu noctuque avaritiæ student, de quibus ait Eccl. c. 5. v. 9. *avarus non impletur*: qui sese egentes simulant, aut pauperes lamentantur, cum tamen Deus illis benedicat; peccant, qui desiderant egestatem, & mercium, grani, vini & ejusmodi magnam caritatem, ut sua eo carius vendere possint; qui studio videntes proximos in egestate constitutos occultant victui necessaria, aut vendere retardant, ut majus lucrum exinde capiant, qui miseriam proximi exoptant, in infortuniis complacentiam habent, honores, dignitates, fortunam & profectum aliorum impediunt; peccant, qui ancillas, servos & alia bona a proximo illicite desiderant, illos in suum servitium clandestine pertrahere cupiunt; omnis denique concupiscentia non ex charitate in Deum & proximum, sed ex mala originem habens inclinatione, prohibita est, & sicut peccatum ex hoc progenitum secundum materiam majus aut minus est,

fic

fic & concupiscentia major aut minor of-
fensa Dei & proximi est.

§. 174.

Inter. Quænam duobus postremis man-
datis præcipiuntur?

R. Duobus postremis mandatis præcipi-
tur puritas cordis, refrenatio voluptatum,
præcipue autem ne desiderium nostrum in
aliena feratur.

Cum quovis præcepto quid prohibeatur,
& quid præcipiatur, hinc enumeratis con-
cupiscentiæ vitiis admonemur his duobus
mandatis, ut mentem semper puram a con-
cupiscentia servemus & custodiamus, ne
nempe illi aures præbeamus, cor nostrum
tam a carnalibus quam temporalibus mun-
di illecebris, quæ fallaces sunt & interitum
nobis parant, fortiter semper defendamus;
membra nostra mortificemus, cupiditatem
omnem erga aliena exuamus, & nostris
etiam bonis non inhiemus, nisi quæ ad sus-
tentandam nostram nostrorumque vitam sunt
necessaria: ideo monemur per Apost. Epist.
ad Coloss. c. 3. v. 5. *mortificate membra
vestra, quæ sunt super terram: fornicationem,
immunditiam, libidinem, concu-
piscenciam malam & avaritiam, quæ est
simulacrorum servitus.* Quid enim te ju-
vat concupiscentia, erras hic inde inquie-
tus

tus toto vitæ tuæ tempore, fitis & esuris
 omni momento post desideria tua & bona;
 & quid in fine? quam diu vives? quid ti-
 bi proderunt omnia hæc? audi Joannem Ep. 1.
 c. 2. v. 15. *nollite dilligere mundum ne-
 que ea, quæ in mundo sunt - - quoniam
 omne, quod est in mundo concupiscentia
 carnis est & concupiscentia oculorum &
 superbia vitæ, quæ non est ex patre,
 sed ex mundo est, & mundus transit &
 concupiscentia ejus.*

§. 175.

Inter. Quare Deus legi subjecit desideria
 & concupiscentias nostras?

R. Deus subjecit legi desideria & con-
 cupiscentias nostras?

1mo. Ut agnoscamus Deum esse Domi-
 num nostri cordis; corpori nostro etiam
 homo imperare potest, & iis omnibus,
 quæ externa sunt, in interiora autem tem-
 poralis potestas se extendere & penetrare
 non potest, ut igitur agnoscamus sumum
 ens, cui non solum externe sed & inter-
 ne est serviendum, legi subjecit animas
 nostras, voluntatem, intellectum & desi-
 deria nostra.

2do. Ut sciamus nihil illum latere posse,
 nihil abscondi ab ejus facie, sicut enim mi-

nimam guttam maris scit Deus, sic & animæ nostræ cogitationes manifestæ sunt illi, de quibus testatur Eccl. c. 23. v. 28. *non cognovit, peccator, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.*

3tio. Ut sciamus legem Dei excellentiorem esse lege humana, quæ solum se ad externa extendere, non autem interna dirigere potest. Lex humana itaque inferior est lege divina, quia ab illa procedit, ad animam sese non extendit, cum cogitare & velle possum, quæ lubent, nisi Divina lege prohiberer, quæ spiritum, qui utpote excellentior est corpore, dirigere & sola imperare potest; hoc autem non ideo dictum est, ac si interne etiam legi justæ humanæ obedire non tenemur, omnis enim potestas a Deo est, sed ut pro omnibus aliis legem Divinam adimplendam esse sciamus majusque delictum esse, si Dei, quam humanæ legi resistamus.

4to. Ut ostendatur ad eliminandum peccatum necesse esse concupiscentiam in nativitate suffocare, sicut enim in morbo, nisi statim ab initio auxilium feratur, mortis imminet periculum, quod præsto est, juxta commune effatum principiis obsta, se-

ferio medicina paratur, sic & concupiscentia initium mortiferi morbi, nempe peccati est, cui statim medicina paranda est, ne in peccatum labamur; quæ autem hæc est, nisi excussio concupiscentiæ: fomes statim est extinguendus, nisi velimus ab igne hoc comburi, qua propter monemur per Eccl. c. 28. v. 14. *si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit, & si exspueris super illam exstinguetur.*

§. 176.

Inter. Quænam nos hæc duo mandata docent?

R. Duo hæc mandata docent, ut officia status nostri non solum externe, sed & interne expleamus & parati sumus ex toto corde faciendi, quæ sunt præcepta, & omitendi, quæ vetita sunt.

Cum concupiscentia internam solum attingat voluntatem, hæc duo mandata præcipiunt, ut domatis internis desideriis & cupiditatibus carnis & hujus mundi, quod externius adimplere tenemur, etiam interius mente & cogitatione adimpleamus, ea omnia procul arceamus, quæ Dei gloriam & nostram salutem inhonorant; cum autem ex se debiles simus, & omnis nostra insufficientia, & ideo & refrenatio concu-

cupiscentiæ a Deo sit, oremus semper ne tradat nos Deus in prava cordis nostri desideria, sed ut dum tempus tentationis ingruit, gratiam suam & misericordiam tribuere dignaretur, ne succumbamus: flagitemus cum Eccl. c. 23. v. 4. *Domine, pater, Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum, extolentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne desiderium averte a me.*

§. 177.

Inter. Quidnam Deus promisit servantibus mandata sua?

R. Deus servantibus mandata sua promisit hic felicem & ibi æternam vitam.

Si enim Deus liberis promisit bonam & quietam vitam in hac terra, si parentibus & præpositis suis obedientes fuerint, illosque honoraverint, quid si Deo Patri summo & legislatori obediverimus minus sperandum haberemus? etsi manifeste experiamur mandatorum observatores esse in hoc mundo felices, cum Dei expleant voluntatem, expresse tamen de abundantiorum benedictione Psal. 26. v. 25. legitur: *junior fui etenim senui, & non vidi justum derelictum & semen ejus quærens panem, semen illius in benedictione erit.*

De æterna vita etiam securi sunt, qui mandata Dei observant, qui Deum diligunt, quid illis aliud dare poterit quam vitam æternam; quod autem mandata observantibus Deus vitam æternam promiserit, clarum habemus Math. c. 19. v. 16. Christi Domini effatum, cum enim interrogasset adolescens, *quid boni faciam, ut habeam vitam æternam*, respondit Christus: *si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Completa Decalogi explanatione mi Christiane breviter audisti, quid tibi faciendum & quid omittendum sit, stude semper ita ambulare, ut Deo placeas, dilige Deum tuum ex toto corde & proximum tuum sicut te ipsum, & habebis mercedem imarcescibilem, recogita sæpius mente, quæ audivisti & renova spiritum tuum, te admoneo cum Salomone Prov. c. 3. v. 1. *filii mi, ne obliviscaris legis meæ & præcepta mea cor tuum custodiat, longitudinem dierum, & annos vitæ & pacem apponent tibi. c. 7. v. 1. custodi sermones meos & præcepta mea reconde tibi, serva mandata & vives, & legem meam, quasi pupillam oculi tui, liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.*

ARTICULUS V.

De præceptis Ecclesiæ generaliter.

§. 178.

Inter. Anne tenemur observare præcepta Ecclesiæ, & quare?

R. Tenemur observare præcepta Ecclesiæ.

imo. Quia quarto Decalogi præcepto nobis obedientiâ tam in spiritualem quam temporalem potestatem injungitur.

Jam fusius de obedientia præpositis debita actum fuit quarto Decalogi præcepto, & ideo hic repetere opus non est; Ecclesia enim, quæ Spiritu S. regitur a Christo usque ad consumationem sæculi, statuit quædam præcepta ad vitam æternam conducentia & mores Christianorum dirigentia, quæ cum præcipua in fideles jurisdictione gaudeat juxta Math. c. 18. v. 18. *quæcumque ligaveritis super terram erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in cælo;* parendum illi esse absque dubio est, omnesque ii gravis inobedienciæ & sæpius etiam contemptus rei sunt, qui Ecclesiæ præceptis obedire recusant;

2do. Tenemur obedire præceptis Ecclesiæ, quia Christus noster Dominus legisla-

cor expresse in Evangelio audire Ecclesiam præcepit.

Quæ sit Ecclesiæ præstanda obedientia ex his maxime patet, cum inobedientes a Christo ipso a communione Ecclesiæ excludantur, & tanquam incapaces regni Dei habeantur, quod clare Math. c. 18. v. 17. legitur: *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; ultro Christus ipse iterum Luc. c. 10. v. 16. ait: *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me*, nempe Patrem cœlestem; quanta porro pœna sint afficiendi, qui Ecclesiam Dei contemnant, aut legibus ejus non obediunt, eodem capite v. 12. habetur, ubi salvator ait: *dico vobis, quia Sodomis in die illa remissus erit, quam illi civitati.*

§. 179.

Inter. Quot sunt præcepta Ecclesiæ, quæ præcipue scitu aut observatu sunt necessaria?

R. Præcepta Ecclesiæ, quæ præcipue scitu & observatu sunt necessaria, quinque sunt.

Quam plures esse ab Ecclesia positos Canones & præcepta sæculares, quam Ecclesiasticas personas concernentia clarum est,

& apertum, hic loci tantum communia quædam præcepta discutiantur, & quidem ut sequuntur sonant:

I. Instituta ab Ecclesia festa sanctifices.

II. Die Dominico & festo de præcepto Missæ sacrificio devote intersis.

III. Quadragesimale, quatuor temporum, aliarumque ab Ecclesia statutarum dierum jejunium observes, die Veneris & Sabbathi a carnibus abstineas.

IV. Singulis annis semel destinato ad id confessario peccata tua confitearis, & in paschate Ss. Eucharistiam accipias.

V. Ecclesiæ vetitis temporibus nuptias non celebres.

ARTICULUS V.

De præceptis Ecclesiæ in specie.

I. Instituta ab Ecclesia festa sanctifices.

§. 180.

Inter. Quid per primum Ecclesiæ præceptum injungitur?

R. Primo præcepto Ecclesia præcipit festa ita, sicut dies Dominicas sanctificare,

a labore quiescere, & bonis operibus incumbere.

Præceptum hoc non sese extendit ad diem Dominicum, de quo jam tertio Decalogi præcepto differuimus, quem jam Dominus Deus sanctificare præcepit, sed ad illos festos dies, quos Apostoli & Ecclesia introduxerunt ad majorem Dei gloriam & sanctorum honorem, ut festa quædam Domini, Natalis, corporis Christi, Beatæ Virginis nativitas, conceptio, annuntiatio, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Stephani &c. Hos dies igitur præcipit sancta mater Ecclesia, ut eodem sanctificentur modo, ut dies Dominicus; oportet igitur a labore servili & non necessario his diebus omnino cessare, & bonis operibus incumbere, quæmadmodum superius diximus, dum de sanctificatione Dominicæ diei edocti sumus.

§. 181.

Inter. Quid Ecclesia prohibet per primum præceptum.

R. Per primum præceptum Ecclesia prohibet ea omnia, quæ diebus Dominicis sunt prohibita, nempe.

imo. Labor servilis sine legitima licentia & necessitate.

2do. Ejusmodi opera & diversiones, quæ diem festum inhonorant, aut sanctificationem impediunt; meminimus itaque dies festos Domino Deo nostro esse dedicatos, sanctis & electis ejus, ut vitam eorum celebremus, admiremur, sectemurque, omnia igitur illa omittamus, necesse est, quæ diem festum inhonorant; O quam pauci sunt, qui eas sanctificent, sed quasi studio omnia illorum desideria ad illos transferunt dies, de quibus lamentatur Dominus per Prophetam Ezech. c. 20. v. 12. & 13. *insuper & Sabbathata mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos, & scirent, quia ego Dominus sanctificans eos, & Sabbathata mea violaverunt vehementer, dixi ergo, ut effunderem furorem meum super eos, & consumerem eos.*

II. Die Dominico & festo de præcepto Missæ sacrificio devote intersis.

§. 128.

Inter. Quid secundo præcepto injungitur?

R. Secundo præcepto injungitur diebus Dominicis & festis integra & devota Missæ sacrificii auditio.

Generale præceptum impositum est ab Ecclesia omnibus fidelibus Christianis usum rationis habentibus, cujuscumque status sint

sint sacrosancto Missæ sacrificio interesse, & omnibus diebus Dominicis & festis de præcepto idem audire, mente attendere celebranti Missam, quamvis non intelligatur, quæ dicuntur; ex quo patet, etsi furdus sis aut cæcus, te præsentem esse debere, si præcepto satisfieri vellis; nulla pars omit-tenda, sed satagendum, ut ab initio usque ad finem intersis & non expectes, ut recte Evangelium pertingas, quod tunc solum conceditur, dum ratio gravis impedit; qui autem partes integrales, ut sunt offertorium, consecratio & communio omittit, plane audire Missam dici non potest, & si studio hoc negligeret, aut incuria, gravis noxæ reus est; cum autem sacrificio Missæ interes, notes, te idem audiendi intentionem facere debere; oportet præterea, ut sis præsens corpore, & animo intentus in res Divinas, orationes aut cantus; qui itaque majori ex parte circumspicit, confabulatur, dormit præter scandalum aliis causatum, graviter delinquit, cui melius utique foret, non esse præsentem, quam domum Dei inhonorantem.

Quæri potest etiam utrum Parochiani; quantum fieri potest, Missam in propria Parochia audire teneatur, consequenter conciones & catecheses: sciant, qui raro propriam visitant Parochiam, antiqui-
tus

tus Christianorum fuisse sanctam consuetudinem, quam sine gravissima causa quivis semper observavit, accedendi diebus Dominicis & festis propriam Parochiam, variis autem sæpius etiam justis de causis, ut ob loci distantiam, consuetudinem hanc obolevisse, qui abusus nunc penitus est tollendus eo magis, cum in nostris terris præcipue per institutionem curatiarum necessariorum cuivis facilis in propriam Parochiam pateat additus; quo circa etiam Conc. Trid. sess. 22. in decreto de observandis in celebratione Missæ præcipit Episcopis, *eundem populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & majoribus festis accedat*, iterum sess. 24. c. 4. *moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi comode id fieri potest ad audiendum verbum Dei.*

Excusant autem ab auditione Missæ, infirmitas etiam levior, cum grave exinde incomodum oriri posset, Ecclesia enim omnes eos non includit hoc præcepto ac includere potest, qui gravi incomodo laborant; pariter excusantur gravidæ, præsertim jam proximæ ad partum mulieres longius distantes; gravis hiems; glacies aut mala tempestas, pluvia, nix, non autem omnes, sed seniores, debiliores, proles; excu-

excusat etiam ab auditione Missæ custodia infirmi, si facile alius aptus pro hoc inveniri non potest; excusat opus aliud sæpe necessarium ex charitate faciendum, ut dum pono incendium, aut aliud tale infortunium, ubi utique naturaliter prius proximo succurrendum, quam Missa audienda; prudenter tamen hoc privilegio utendum, ne laxius extendentes libertatem Deum offendamus, & præceptum Ecclesiæ cum advertentia & negligentia frangamus.

§. 183.

Inter. Quid adhuc faciendum ut dies festi de præcepto juxta Ecclesiæ intentionem sanctificentur?

R. Ut dies festos de præcepto juxta Ecclesiæ intentionem adhuc sanctificemus oportet, præter Missæ auditionem interesse concioni, sacramentum pœnitentiæ & Eucharistiæ sæpius frequentare, libros pios legere, pomeridiano divino servitio adesse & alia pia opera exercere.

Ex qua responsione patet non sufficere, ut plurimi putant, ut Christianus Missæ sacrificio intersit, aut plane celeriorem exquirat sacerdotem, ut prius finiat, sed necesse esse omnino, ut diebus festis verbum Dei audiat, animæ suæ pabulum, ut conscientiam suam sacramento pœnitentiæ sæpius

sæpius expurget, & pro sua sanctificatione & gratiæ cœlestis adeptione S. Eucharistiam sumat, pie meditetur, totumque diem bonis operibus consumat, qualis enim esset diei festi sanctificatio, si vix Deo mediam horam & hanc adhuc volatim impenderes.

§. 184.

Inter. Quid secundo præcepto Ecclesiæ prohibetur?

R. Secundo Ecclesiæ præcepto prohibetur accedia Divini servitii diebus Dominicis & festis, ut:

1. Dum Missa integra cum debita devotione & attentione non audiatur, aut sæpius conciones omittantur.

2. Dum dies festi comestationibus, potationibus, lusu & aliis recreationibus consumuntur, quæ omnia a cultu Divino divellunt.

Cum ut superius vidimus præceptum sit, Missam audire non solum, sed & totum Diem festum sanctificare, omnia ea esse prohibita, quæ diem festum inhonorant, patet, cum a vero Dei cultu abstrahunt & impediunt, ideo ruri & in civitatibus prohibitum est, ne caupones tempore cultus Divini tabernas suas aperiant, ne mercatores merces suas vendant; nullus autem,

mi Christiane, postquam mane & pomeridiano tempore diem festum sanctificasti, prohibebit, ne tuo lasso corpori per totam hebdomadam defatigato potum decentem & moderatum porrigas, nullus prohibebit, postquam jam Deo servisti, parum animum tuum recreare honeste & decenter, dumodo debito fiat tempore, ait enim Eccl. c. 3. v. 1. *omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt universa sub cœlo, est tempus flendi, & tempus ridendi &c.*

DE MISSÆ SACRIFICIO.

§. 185.

Inter. Quid est Missæ Sacrificium.

R. Missa est incruentum Sacrificium novi testamenti, signum sempiternum cruenti sacrificii, quod Jesus consumavit in ligno crucis.

Fide edocemur Jesum Christum in cruce vere passum & mortuum esse, ideoque cruentum perfecisse sacrificium Patri suo cœlesti in satisfactionem totius mundi, ut autem hujus cruenti sacrificii sempiterna esset memoria & signum visibile & sacrificii jam consumati repetitio & comemoratio, quam præcepit Christus ipse Luc. c. 22. v. 19. dicens: *hoc facite in meam comme-*

morationem; incruentum instituit Missæ sacrificium, quia sanguis non amplius funditur, & Christus non amplius moritur, sedens in gloria ad dextram Patris.

§. 186.

Inter. Quis instituit sacrosanctum Missæ sacrificium?

R. Jesus Christus in ultima cœna instituit sacrosanctum Missæ sacrificium.

Christus Dominus antequam pateretur, ut Math. c. 26. legimus, voluit cum discipulis suis comedere Pascha, & vespere facto discubuit cum duodecimi discipulis die, quam nunc feriam quintam majoris hebdomadæ celebramus, dicitur autem cœna, quia comestionem unicam, quæ circa vesperum tantum fiebat, cœnam vocarunt antiqui; hac itaque die circumsedentibus omnibus discipulis etiam Juda traditore Christus Dominus ad finem cœnæ sacrosanctum hoc sacrificium instituit.

§. 187.

Inter. Quomodo Jesus Christus instituit sacrosanctum Missæ sacrificium?

R. imo. Jesus Christus accepit panem & calicem cum vino, *cœnantibus autem eis accepit Jesus panem* Math. c. 26. v. 26. & *accipiens calicem* v. 27.

2do. Et benedixit utrumque dicens super panem, *hoc est corpus meum* v. 26. & super calicem *similiter*, & calicem postquam cœnavit dicens: *hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur* Luc. c. 22. v. 20.

3tio. Dedit utrumque Apostolis præsentibus in cœna *deditque discipulis suis* & ait: *accipite & comedite, & accipiens calicem dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes* Math. c. 26. & 27.

4to. Præcepit ut hunc sacrosanctum cibum & potum corporis & sanguinis sui in memoriam ejus facerent: *hoc facite in meam comemorationem* Luc. c. 22. v. 19.

Quam integram consecrationis panis & vini in corpus & sanguinem Christi usitatam formulam mater Ecclesia, quasi sic adhibet, ut Paulus I. Cor. c. 11. v. 24. habet & *gratias agens fregit & dixit, accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam comemorationem; similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quoties bibetis in meam comemorationem; ex quibus patet, Missæ sacrificium non esse inventum hominum aut Ecclesiæ, sed institutionem vere Divinam, quam fieri semper & usque ad consumma-*

tionem sæculi præcipit Christus, cum dixisset: *hoc in meam comemorationem facite.* O si quis misterium Mysteriorum hoc maximum, quod reliquit Christus salvator noster in terra, tantum obvie considerat, cor ejus præ gratitudine rumpi deberet, non solum contentus, ut moreretur pro nobis, sed reliquit sempiternum testamentum, & pretiosissimam sanctissimamque legavit hæreditatem pro cibo & potu animarum nostrarum, corpus & sanguinem suum.

§. 188.

Inter. Quis in Catholica Ecclesia Missæ sacrificium offert?

R. In Catholica Ecclesia offert invisibiliter se ipsum Jesus Christus patri suo cœlesti pro nobis, visibiliter autem perficit sacrificium sacerdos.

Non eo visibili modo, sicut in ara crucis sese Christus Patri suo cœlesti offert, non per sanguinis effusionem, sed solum sub speciebus panis & vini, & ideo recte invisibiliter dicitur; Ministri autem ejus, seu in terris Vicarii sacrificium, quod oculis utique cernimus, perficiunt, & ideo ratione sacerdotum perficientium visibile dicitur, & sicut in aliis sacramentis Deus est, qui operatur solus, sic & in hoc Missæ

sæ sacrificio sacerdos non ex sua virtute perficit, sed ut legatus ejus, ex quo sequitur etiam nullum nisi sacerdotem posse sacrificium Missæ offerre, cum non omnibus, sed solis Apostolis, discipulis & eorum successoribus hanc dederit in ultima cœna potestatem.

§. 189.

Inter. Quare sacerdos Missæ sacrificium perficit?

R. Sacerdos Missæ Sacrificium perficit:

imo. Ut supremum in nos Dei Dominium & potestatem confiteatur.

Latreuticum hoc dicitur, quo supremus patriæ cultus Deo usque ad consumationem sæculi exhibetur, non solum ab hominibus, sed ab ipso Deo homine Jesu Christo, qui in Eucharistiæ sacrificio adorat pro nobis, & adoratur a nobis; hoc sacrificium principalissimum est, & omnibus aliis anteponendum, cum præprimis Deus adorandus, & ante omnia honor & gloria exhibenda supremo numini; ex quo pariter clarum est, nos ea, quæ petimus, obtineri non posse, cum fundamentum orationis & sacrificii nostri quod est patriæ cultus omnino desit.

2do. Ut pro acceptis beneficiis Deo gratiæ agantur.

Eucharisticum appellatur, quo simul pro omnibus donis, gratiis corporalibus & spiritualibus gratiæ aguntur, naturalis enim ratio dicit nos debere gratias exhibere pro omnibus, quæ non meritis nostris, sed sola miseratione infinita Dei accepimus: unde, antequam Christus panem fregisset, gratias egit Patri suo cœlesti, cujus nos monet Apostolus ad Eph. c. 5. v. 20. *gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo & Patri*; ubi autem hæc gratiarum actio magis perfici poterit, quam in sacrosancto Missæ sacrificio.

3. Ut a Deo peccata nostra remittantur.

Propitiatorium dicitur, quatenus offertur, & valet ad remissionem peccatorum & pœnæ eis debitæ; valet quatenus per hanc hostiam & oblationem utpote gratissimam propitius erga peccatores redditur Deus, & intuitu hujus confert gratias, quibus peccator, pro quo offertur sacrificium, excitatur, & trahitur ad pœnitentiam, & insuper delet pœnas peccatorum eorum, quæ per pœnitentiam remissa sunt, unde Conc. Trid. sess. 22. ait: *hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam* &
do-

num pœnitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittit: quanta itaque fiducia nos miseri peccatores sacrificium cum sacerdote offerre desiderare debemus, cum ipse Christus in Missæ sacrificio pro peccatis nostris immolatur, confirmante Epist. 1. Joan. c. 2. v. 1. *sed si quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi, & c. 4. v. 10. & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.*

4to. Ut beneficia & gratias, quibus indigemus, consequamur.

Impetratorium dicitur, cum Missæ sacrificium vim habeat impetrandi omnia beneficia tam spiritualia, quam corporalia ad salutem conducentia secundum Dei dispositionem, ejusque sanctissimam providentiam; unde monet Paul. 1. ad Thimoth. Episcop. c. 2. v. 1. dicens ei, ut in sacrificiis suis offerat pro omnibus; *obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes & postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & castitate.*

Hos-

Hosce omnes effectus habere Missæ sacrificium fides docet, per hoc enim Deum tamquam supremum numen agnoscimus, pro beneficiis gratias agimus, pro remissione peccatorum flagitamus, & futura bona poscimus, quæ omnia effectum suum sortiuntur ex operato, ex meritis & passione, morte Domini nostri Jesu Christi.

§. 190.

Inter. Cui Missæ sacrificium offertur?

R. Missæ sacrificium soli Deo offertur.

In sacrificio Missæ offertur Christus Deus homo, cui autem agnus hic sanctissimus offerri posset in hostiam, quam Patri cælesti, qui solus major est Christo, inferiori enim offerre sacrificium Missæ absurdum esset cogitatu.

Quid autem dicendum, cum tamen Missæ offerantur in honorem sanctorum: advertendum est hoc non fieri, quasi iis Christus ut hostia offeratur, aut quasi supremus cultus eis tribueretur, quod esset idololatria, sed insuper doctrina Conc. Trid. sess. 22. c. 3. est consideranda, quæ sic ait: *quamvis in honorem & memoriam sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non*
ta-

tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit, unde nec sacerdos dicere solet: offero tibi sacrificium Petre, Paule, sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

§. 191.

Inter. Pro quibus offertur Missæ sacrificium a sacerdote?

R. Missæ sacrificium offertur a sacerdote pro vivis atque defunctis.

Missæ sacrificium pro omnibus iis esse offerendum, qui salutis æternæ capaces sunt, absque dubio est, hinc sequitur non solum pro fidelibus Christianis præprimis esse Missam offerendam, sed etiam pro Paganis, Judæis, Hæreticis; pro omnibus enim mortuus est Christus, ideo pro omnibus offertur sacrificium incruentum; inter vivos numerantur sancti & electi Dei, in cuius honorem quomodo sacrificium offeratur, §. præcedenti diximus.

Offertur & pro defunctis fidelibus in Domino mortuis nondum plene expiatis, ut ex carcere dimittantur, & prius visione Divina potiantur. Pro damnatis autem,

r

cum

cum æternæ salutis capaces fieri nunquam possint, & ex inferno nulla redemptio fit, sacrificium offerri non potest, nec decet: *Vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur.* Math. c. 9. v. 43.

§. 192.

Inter. Quomodo audiendum Missæ sacrificium?

R. Missa integra audienda est, & nulla notabilis pars omittenda ex propria causa, non sufficit præsentia solum, sed oportet
1. attente, 2. honeste, 3. devote Missæ sacrificio interesse.

Quomodo audienda Missa sit jam §. 182. explicavimus: non sufficere præsentiam solum cuique patet, quia etiam canis præsens est, sed tamen audire Missam dici non potest, requiritur, ut Christianus tota animi & corporis intentione sine omni divagatione sacrificio Missæ intersit, & ad partes omnes attendat.

§. 193.

Inter. Quæ sunt præcipue partes Missæ sacrificii?

R. Præcipue partes sunt: Evangelium, offertorium, consecratio & communio.

De

De iis Missæ partibus sermo est, quæ ad integram auditionem Missæ, non autem ad essentiam sacrificii spectant, cum illud solum in consecratione & oblatione corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi perficiatur; generatim itaque sciendum est eum solum Missam audire, qui in casu non potentia prius accedendi, eandem audit incipiendo a prima panis, & vini oblatione inclusive; porro advertendum est ad integritatem Missæ auditionis spectare, ut ad semel unica & non plures Missæ audiantur, hinc si etiam contingeret plures celebrari animus, & cor ad unicum solum sacrificium figendum.

§. 194.

Inter. Quid observandum ad Evangelium?

R. Antequam ad hanc Missæ partem respondendum sit, necesse est, ut aliqualem Missæ cognitionem habeamus, & de iis rebus instructi simus, quæ generatim ad Missæ sacrificium spectant, & quidem:

imo. *De loco sacrificii.* Missa in templis est celebranda, quæ Episcopus consecraverit, aut sacerdos mandato Episcopi benedixerit, celebratur etiam in sacellis privatis, quæ autem licentia sine graviore causa non conceditur, & solum plerumque pro Patrefamilia & necessariis domesticis valet, qui

dinarie tamen Missam, si facile fieri potest in propria Parochia audire debent.

2do. *De altari.* Altare super quod Missæ sacrificium peragitur, lapideum ab Episcopo consecratum, aut saltem sacra petra super altare posita instructum esse debet tanta magnitudine, ut hostiam & calicem capere possit; tribus linteis mundis & benedictis tectum, in medio altaris crux cum saltem duabus candelis accensis; pulvinare tabulæ secretorum, campana, ampula cum vino, aqua & pelvicula: superior pars dedicatur aut Deo, B. Virgini, aut alicui sancto.

3tio. *De calice.* Calix omnino aureus esse debet, argenteus, aut etiam existente paupertate ex cupro, attamen bene inauratus, purificatorium, patena cum hostia, palla, velum colorem habens congruentem, bursa cum corporali plicato ex lino fino farinæ pasta fortificato, ut decedentes particulæ cum patena facilius inveniri & colligi possint.

4to. *De hostia.* Hanc magnitudinem, quæ nunc est, habuisse olim & hostias, quæ fidelibus porrigebantur, clare traditur, quæ proin fractæ sunt in dispensatione sacramenti; ne autem fractio ista esset necessaria, pro populo parvas hostias, supra quas imago salvatoris videtur, fieri præcepit Ecclesia,

fia ex tritico mundo, quod primis sæculis fideles, quantum erat necessarium, porrigebant.

5to. *De vestibus sacerdotalibus.* Vestes sacerdotales non esse figmentum, aut inanem observationem abunde tradit Benedictus 14. P. M. L. 1. de sacrosancto Missæ sacrificio c. 7. *Apostolos non iis vestibus communibus, quos quotidiano & continuo usu adhibebant, sed aliis quibusdam peculiaribus indutos Missam celebrasse.* In tali fere forma, ut nunc, nempe amictu, alba, cingulo, manipulo, stolla & planeta, seu casula & bireto. Quinque coloribus variis utitur Ecclesia in Missæ celebratione, nempe albo, rubro, viridi, violaceo, nigro: aureus autem pro omnibus adhibetur coloribus, albus significat vitæ puritatem, decorem, & adhibetur festis Confessorum & Virginum; ruber ob effusum sanguinem in festis Martyrum; viridis & violaceus ad distinguenda tempora adventus, quadragesimæ ab aliis temporibus; niger, ut ostendatur tristitia quasi pro defunctis; vestes plenæ sunt symbolicis significationibus, quas hoc loco commemorare tempus non admittit, & aliunde populo scitu necessarium non est.

6to. *De ministro sacerdoti inserviente.* Non hic sermo est de ministris clericis
Mis-

Missæ solemnæ assistentibus, sed de ordinariis ministris: olim populus respondebat universus, quod nunc facit minister, cum autem amplius in usu non sit, nec intelligatur, unus sufficit, sine quo etiam sacrificare non licet: debet esse autem masculus, cum fœminis in Ecclesia officia habere non liceat: ministrorum munus est bene calere omnia, quæ ad inserviendum sacerdoti sunt necessaria, devote & sancte huic tremendo sacrificio assistere eos oportet.

7mo. *De Missæ Etymologia.* Variæ sunt vocis hujus significationis, maxime congruentem huc ponere satui. *Missam* maxime a latino verbo mitto derivo, quod nempe sacerdotis ministerio, qui partes mediatoris inter Deum & homines agit, fidelium præces ad Deum mittantur & deferantur, oratio pro populo fiat, ideo etiam hæbreo vocabulo *Missâ Missach* seu oblatio appellatur.

8vo. *De Idiomate, quo Missa celebranda est.* Etsi omnino pulchrum esset, & salutare, *Missam* Idiomate in provinciis usitato celebrare, ut autem pura semper maneat, & indubitata *Missæ* totalis ab Ecclesia institutio, nullisque mendis adulteretur, mens Ecclesiæ in Conc. Trid. sess. 22. c. 8. tradita observanda est, quæ sic ait: *et si Missæ magnam contineat populi fidelium*
eru-

eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur, mandat autem S. Synodus pastoribus & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se vel per alios, ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant,

9no. *De Missæ initio.* Explicatur hic de Missa solemni, unde, quid & in privata agatur, facile dignoscitur. Dominicis diebus in Missa solemni fit aquæ benedictio & aspergio populi, juxta effatum leonis IV. P. M. in sermone de cura pastorali: *omni die Dominica ante Missam aquam benedicite, unde populus aspergatur.* Mos laudabilis est, & pius in Ecclesia, asperguntur enim fideles ante Missam aqua benedicta, ut pellantur omnes Diaboli infestationes, agnoscantque Spiritus S. gratia mundatos esse oportere, si digne Missam audire, & orationes eorum exaudiri velint.

10mo. *De introitu.* Accedit sacerdos ad altare, calicem ponit super lapidem, Missale ordinat, & repetit intentionem in medio altaris, descendit, facit confessionem peccatorum suorum cum ministro, & sese digne præparat ad perficiendum magnum & tremendum sacrificium; confitetur peccata sua Deo omnipotenti, testibus beata Virgine,
An-

Angelis, Sanctis omnibus & circumstantibus, tamquam Ecclesiæ cœtui, tundit se tribus vicibus ad pectus, peccata sua condolens; hæc pectoris percussio inuitur Luc. c. 18. v. 13. ubi de publicano dicitur: *sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.*

Spiritualement significationem introitus habet, nempe adventum Christi in hunc mundum, & initium passionis, quæ incipiebat, cum Christus per scalas duceretur ad iudicem.

11mo. *Osculum altaris.* Altare typus Christi est, & hoc osculo significatur sacerdotem osculari Christum, & demonstrat summam sacerdotis in Christum charitatem, quæ specialiter osculo ostenditur.

12mo. *De Kyrie eleyson.* Accedit post orationem in medio factam ad partem Epistolæ, ubi ex Missali partem Psalmi decantat, & recitat novies Kyrie eleyson, Christe eleyson, quod significat Domine miserere, Christe miserere, & fit ter ad Patrem, ter ad filium, ter ad Spiritum S. orat sacerdos, ut cum indignus sit tanto perficiendo sacrificio, ejus misereatur, & oblationem suam acceptam habeat, quod & dicendum, dum in lytaniis consueta hæc verba præmittimus.

13mo. *De gloria in excelsis.* In medio altaris cantat sacerdos hymnum, cujus initium legitur Luc. c. 2. v. 14. *gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; hanc laudem depromsit Ecclesia ab Angelis, qui in nativitate, tamquam militia cœlestis Deum laudabant, unde & sacerdos cum populo laudare Deum sicut Angeli desiderat, extollit gloriam & adorat, gratias agit pro innumeris beneficiis, nativitate & redemptione, & peccatorum remissione; orat, ut deprecationes suas audiat Deus & hilari corde sanctissimam confitetur Trinitatem.

14to. *De Dominus vobiscum.* Postea se vertit sacerdos ad populum dicens: *Dominus vobiscum*, quæ salutatio jam ex veteri testamento est derivata, Booz enim salutavit mēssores suos: *Dominus vobiscum* Ruth. c. 2. v. 4. Insuper Paulus omnes epistolas comendat hac salutatione, specialiter autem ad Theff. c. 3 v. 16. ait: *Dominus sit cum omnibus vobis*, & ad Phil. c. 4. v. 23. *gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro*; per sacerdotes nos salutat Jesus Christus, cupiens in nobis mansionem perpetuam facere, ut semper digne & reverenter sacrificium audiamus, in Christo nos & Christus in nobis inhabitet, & ut hoc fiat, respondetur,
cum

cum spiritu tuo, ut nempe vere spiritus Dei in nos veniat, & in nobis maneat.

15to. *De oramus.* Postquam sacerdos populum ita salutaverit in signum mutuae pacis & communionis cum Christo, excitat omnes simul ad orationem, dicens *oramus*; dicit orationes breves, quibus aliquid petitur a Deo optimo maximo; dicuntur etiam in honorem sanctorum recte obvenientium, pro publica necessitate, & hujusmodi: concluduntur orationes omnes per Dominum nostrum Jesum Christum, qui redemptor & mediator noster apud Patrem est, & hoc facere nos docuit ipse Christus Joan. c. 14. v. 13. *quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.*

16to. *De epistola.* Legitur dein ex scriptura sacra locus Prophetarum & Apostolorum, quibus populus per doctrinam mysteriorum fidei præpararetur ad audiendum Evangelium & verbum Christi, quod olim etiam in lingua vernacula factum fuisse tradunt scriptores; accedit Sacerdos ad medium altaris, & inclinatus oratione sese præparat ad digne anuntiandum Evangelium.

Nunc ad Evangelium respondetur ut superius ad §. 194.

R. Ad Evangelium meminisse oportet quemvis Christianum teneri doctrinam Evangel-

geli agnoscere, & coram toto mundo confiteri, defendere & juxta illam vivere.

17mo. *De Evangelio.* Post orationem sacerdos ad dexteram altaris partem sese confert, & legit ibi Evangelium excerptum ex quatuor Evangelistis, Mathæo, Marco, Luca & Joanne, consurgit populus, ut facilius verbum Dei audiat, & ostendat sese paratum esse ad perficienda mandata sancti Evangelii, quod utique tamquam unicum fidei nostræ fundamentum quivis agnoscere palam, & imperterite confiteri, cum mortis etiam periculo defendere & vitam suam juxta doctrinam hanc sanctam & veram dirigere tenetur.

18vo. *De Symbolo.* Post Evangelium sacerdos recitat Symbolum fidei, seu *Credo*, ut illud, quod in Evangelio legit, fide confiteatur, est autem additis aliquibus sicut fidei Symbolum in Chatechesi contentum; genuflectit, dum de incarnationis misterio comemorationem facit, inscrutabili humilitati Christi, qua homo factus est, adorationem præstans.

In Dominicis & festis de præcepto in matutina & ante meridiem habenda Divina peractione in nostris terris laudabilis mos est post Evangelium, aut fidei symbolum, habere exhortationem, & concionem ad

populum, qui omnino fervandus, & ubi nondum sit introducendus; legimus enim morem hunc antiquissimum teste S. Justino Martyre Apologia 2da & S. Cypriano in vita S. Cæsaris arelat. c. 14. in Ecclesia esse, quod Conc. Aurelianense confirmat, *in diebus Dominicis & festis post sermonem intra Missarum solemnias habitum plebem sacerdos admoneat, ut juxta Apostolicam institutionem omnes fundant preces ad Dominum* - - - post hæc sacra celebretur oblatio, & Benedict. 14. P. M. Lib. 2. de Missæ sacrificio c. 7. ait: *in Italia quoque mos est, ut Parochi, qui munus suum exequi volunt, in Missa Parochiali post Evangelium sermonem habeant festis diebus ad populum; sunt enim multi Christiani desides & contenti sola Missæ auditione, hinc ruri præsertim ubi duæ, aut etiam unica Missa est, saltem ejusmodi contra voluntatem sermonem audiunt, qui inter Missarum solemnias fit, & tamen sæpius cor eorum tangitur, mulcetur; maxime itaque mos iste, ubi viget, laudandus est.*

§. 195.

Inter. Quid faciendum ad offertorium?

R. Ad offertorium intentio audientium cum intentione sacerdotis est communicanda & sese Deo offerendum.

19no. *De offertorio.* Post symbolum dicit iterum sacerdos ad populum Dominus vobiscum, & oremus, pulsatur tunc, ut populus advertat, quæ fiant, & hæc semper ratio pulsus est; dein ponit calicem ad partem dexteram, sumit patenam cum hostia, quam offert sacerdos pro se, peccatis suis & populi, pro vivis atque defunctis; & accepto calice infundit vinum, & permiscet modicissimum aquæ in signum unionis Ecclesiæ cum Christo, & ut significetur verus Christi sanguis humanus, qui exivit de latere, aqua mixtus, prout sanguinis natura est; accipit calicem & iterum offert modo quo hostiam: antiquitus statim ab initio offertorii populus Missæ assistens obtulit panem & munera Domino Deo, & sacerdotibus ejus, qui loco stipendii, quod nunc datur, de illis offertoriis sese sustentabant, reliquum autem ad Ecclesiæ necessitates adhibebatur: hujusmodi autem oblatio fiebat, ad recognoscendum supremum Dei in res omnes Dominium, & quasi ex gratitudine de illius donis aliquid illi consecrabatur, quod & nunc fit, dum elemosina porrigitur; ex hac etiam elemosina pauperes, quantum erat possibile sub cura sacerdotum stantes sustentabantur; est itaque ad offertorium intentio cum sacerdote facienda, corpus & anima nostra in manus Divinas toto ex corde & sincera charitate offerenda.

20mo. *De ablutione manuum.* Post hæc dicit sacerdos orationes quasdam, & in Missa solemni fit incensatio, ut per hoc honor & gloria Deo ostendatur & bonus odor orationis nostræ, flamaque cordium nostrorum in cœlum ascendat: in Missa autem privata accedit sacerdos ad partem Epistolæ, abluuit digitos & orat, ut tam ipse, quam populus adstans Missæ sacrificio a peccatis omnibus & iniquitatibus mundetur, si in veteri testamento in sacrificiis, ubi tantum typus erat: David dicens Psal. 25. v. 6. *lavabo inter innocentes manus meas & circumdabo altare tuum Domine:* quanto magis nos mundos esse oportet, dum filium Dei Jesum Christum imolamus.

21mo. *Ad orate fratres.* Postea sacerdos rediens ad medium altaris orat, & se vertens ad populum, ait *orate fratres;* monet omnes adstantes in Christo fratres unum patrem & creatorem habentes, communionem sanctorum concatenatos, ut sacrificium suum & populi apud Deum patrem fiat acceptabile; hinc orare debemus, ut sacrificium fiat in Dei gloriam, in gratiarum actionem, in remissionem nostrorum peccatorum, beneficiorum, quæ necesse habemus, obtentum.

22do. *De Præfatione.* Postea orans incipit sacerdos præfationem, quæ in Missa solem-

lemni cantatur; ibi canit, ut Dominus sit cum omnibus nobis, ut corda nostra in cœlum elevemus, ut gratias Deo agamus, ubi minister populi loco respondet, & confirmat hoc, quod orat & desiderat sacerdos; ultro gratias agit, & sicut Angeli & Archangeli & electi Dei sanctissimam in cœlis adorant rinitatem, sic & nos sine fine adoremus dicentes sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth; nunquam cessare a laude Divinæ majestatis nos docet hicce hymnus juxta Apoc. c. 4. v. 8. *requiem non habebant die ac nocte, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens.*

23tio. *De Canone*, quod idem est, ac regula, qua sacrificium sine variatione aut aut imutatione perfici debet, prout Ecclesia præscripsit; sacerdos submissa voce incipit orare patrem omnipotentem, osculatur altare, & facit tres cruces super oblata in signum trinæ traditionis Christi a patre cœlesti facta, cum filium suum voluntate unita traderet in mortem, cum traderetur a Juda prævaricatore, & a Judæis Pilato; orat, ut Deus sacrificium habeat acceptum pro tota Ecclesia Dei, pro Pontifice Romano, pro Episcopo & terræ principe, apud nos Augustissimo Imperatore, de quo Tertul. c. 2. ad scapulam: *sacrifici-*
ca-

camus pro salute imperatoris, & omnibus fidei cultoribus; facit memoriam eorum, pro quibus Missam offert specialiter, & pro omnibus circumstantibus; invocat beatam Virginem & sanctos Apostolos Martyres & electos, ut ii ob communionem cum iis pro nobis orare, & nos protegere dignarentur, dein extendit manus super oblata, ritus erat jam hicce in veteri testamento Levit. c. 4. v. 4. legimus sacerdotes, dum vitulum imolaverint Deo, super caput ejus manum imposuisse: ponetque manus super caput ejus, & imolabit eum Domino; sic & novæ legis sacerdos sacrificans, antequam consecret panem & vinum in corpus & sanguinem Christi, manus imponit ipsius & populi nomine, quasi cum Christo mystice Deo patri imolari vellint pro peccatis suis, ad accipiendam simul cum Christo gloriam æternam; facit quinque cruces sacerdos, quo explicatur in quinque corporis sensibus Christum passum esse; in visu, cum velata illi fuit facies, in auditu, cum fuerit irrisus & blasphemat; in gustu, cum fel & acetum ei fuit porrectum; in odoratu, cum fœtorum laniatorum & corporum corruptorum sentire debuisset, in tactu, cum ejus transfixi sunt pedes & manus.

§. 196.

Inter. Quid faciendum ad consecrationem?

R. In consecratione adorare oportet Jesum Christum sub speciebus panis & vini, & percutiundo pectus, confiteri nostra peccata causam esse mortis salvatoris; contritio super peccata, fides, spes, charitas elicienda.

24to. *De consecratione.* Sacerdos accedens ad consecrationem verba recitat, uti Christus fecit in ultima cœna: accipit panem, elevat oculos in cœlum, benedicit, & facta intentione consecrat, dicens super panem: *hoc est enim corpus meum*, genuflectit & elevat, & simul accipit calicem, dicens: *hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; genuflectit & elevat, uti prius: his prolatis verbis, panis non amplius panis est & vinum non vinum, sed vere corpus & sanguis vivus Domini nostri Jesu Christi; hoc momento fit oblatio incruenta filii Dei patri suo cœlesti, quæ significatur, dum corpus & calix elevantur ad cœlum; signum elevationis Christi in crucem in monte Calvariæ elevationem significat; dum itaque fit consecratio & elevatio, adorare nos Deum ho-

minem Jesum Christum, qui pro nobis passus & mortuus est, adorare patrem, qui pro nobis voluit filium suum dilectissimum immolare, oportet; & quis est hujus sanctissimæ victimæ causa? quàm peccata & iniquitates nostræ, hinc compuncto corde & ardentissimo animo suspiria a nobis fundenda sunt, dum ad consecrationem proceditur.

25to. *De orationibus & crucibus post consecrationem usque ad Memento.* Peracta consecratione facit sacerdos comemorationem passionis & resurrectionis & ascensionis D. N. J. Christi, & quinque facit cruces, non quasi aliqua adderetur sanctissimæ Eucharistiæ benedictio, quod absurdum esset, sed ad significandum passionem & mortem Christi, quæ per crucem perfecta est, & quod omnis fructus in nos redundans ex cruce procedat; orat sacerdos, ut hanc immaculatam hostiam pro nobis Deus pater habeat acceptam, & ut nostra vota per Angelos in conspectum Divinæ majestatis deferantur.

26to. *Ad Memento pro defunctis.* Orat sacerdos pro defunctis, & comemorationem eorum facit, dicens: *memento etiam famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis;* specialiter orat pro de-

defunctis animabus in purgatorio, ut Deus sacrificium hoc non solum ad remissionem peccatorum, sed & ad absolutionem pœnarum pie in Domino defunctorum extendere dignaretur: ne dimittamus igitur pro fratribus nostris defunctis orare, & sacrificia offerre, ut placatus Dominus ex illo ardenti rogo animas liberet, qualis autem erit major accepta oblatio, quam Missæ sacrificium? de quo prætermisissis tot patrum testimoniis Conc. Trid. sess. 25. decreto de purgatorio ait: *animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari, quod juxta Apostolorum traditionem fieri ostendit*, idem Conc. sess. 22. c. 2. Orat sacerdos, tundit pectus, & dicit: *nobis quoque peccatoribus*; quæ tuncio refertur ad latronem in cruce pendentem, & peccata sua condolentem; desiderat nempe, ut etiam nobis vivis fidelibus omnibus cum sanctis & electis per virtutem hujus sacrosancti sacrificii æternam aliquando Deus beatitudinem largiri dignaretur; trina benedictio, trinam orationem Christi in cruce significat, dum dixit: *pater ignosce illis, Deus meus, ut quid dereliquisti me: in manus tuas commendo spiritum meum*; aliæ tres cruces tres horas, quibus pependit in cruce, a sexta usque ad nonam, &

duæ cruces extra calicem divisionem corporis ab anima Christi significant.

27mo. *De oratione Domini.* Post hæc dicitur oratio Dominica, seu Pater noster, ut omnia orationis & petitionis momenta per hanc petitionem, quam Christus ipse tradidit nobis, complectamur; postea petit sacerdos, ut ab omnibus malis præteritis, præsentibus & futuris per intercessionem B. M. V. Apostolorum & sanctorum nos liberare dignaretur; accipit hostiam, & frangit eam per medium, prout fecit Christus in ultima cœna, comixtio panis & vini designat unionem carnis & animæ in resurrectione; significatur per fractionem panis sciso templi in medium: trina autem benedictio particulæ super calicem, Christum tertia die resurgere, impositio particulæ in calicem sepulchrum Christi.

28vo. *De Agnus Dei;* tundit ter pectus sacerdos dicens: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis, dona nobis pacem;* admiratur passionis misterium his suspiriis, & tam infinitam humilitatem & charitatem Christi, qui voluit omnes totius mundi ferre sordes & peccata; hoc & fecit Joannes c. i. v. 29. suam vocem extollens, dum Christum videret in hunc mundum venisse ob delicta populi sui, dicens: *ecce agnus Dei, qui tollit peccatum*

mundi; considerare nos oportet cum Petro I. Epist. c. I. v. 18. non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine agni incontaminati & immaculati Christi.

§. 197.

Inter. Quid ad communionem sacerdotis faciendum?

R. Ad Communionem sacerdotis, si Eucharistiæ sacramentum non sumimus, spiritualiter eodem refici digne desiderare nos oportet.

29no. *De Communionem Sacerdotis.* Fit præparatio ad sumendum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi: orat, ut Deus eum ab iniquitatibus mundet, ut puro corde sanctissimam Eucharistiam suscipere posset; accipit panem, & percusso pectore ait tribus vicibus: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea,* ad formam Centurionis, de quo Math. c. 8. v. 8. Communio hæc significat sepulturam & totalem lapidis impositionem, quasi in corpore nostro Christus sepeliretur, signat sese sacerdos cruce & inclinatus accipit corpus & sanguinem, abluit calicem, & digitos & componit velo sicut ante Missam.

30mo. *De fine Missæ.* Accedit ad partem Epistolæ laudem concinens de Christo a mortuis resurrecto, & consumato sacrificio pro nobis peccatoribus, dicit orationes, & gratias agit pro accepto ingenti beneficio, benedicit nomine Christi populum, & hæc benedictio significat benedictionem illam, quam dedit Christus Apostolis, antequam in cælum ascenderet, significat etiam Missionem Spiritus S. in terram; vadit ad partem Evangelii, & plerumque recitat initium S. Evangelii secundum Joannem, quod est repetitio quædam & compendium mysteriorum principalium fidei nostræ, Ss. Trinitatis, creationis mundi, incarnationis Christi, quæ omnia sacerdos sui & totius Ecclesiæ nomine noviter & ad majorem Dei gloriam & gratiarum actionem profitetur & discedit.

En explanationem Missæ sacrificii, quantum pro angustia licet, maximum esse nostræ fidei mysterium nemo non videt, cum igitur hoc inexplicabili dono placatur Dominus, studeamus devote semper & filiali cordis affectu huic tremendo sacrificio interesse, ut sicut Dominum nostrum Jesum Christum nunc solum sub speciebus panis & vini adoramus, facie ad faciem eundem aliquando in cælis videre valeamus.

Cum & Ss. Eucharistiæ sacramentum, ut publice adoretur, exponatur, sciendum est, hoc ordinarie non exponi debere, nisi in festo corporis Christi & per octavam & quando urget necessitas juxta ritum Rom. Ecclesiæ, ut tempore egestatis, famis, morbi, belli, pro felicitate status Ecclesiæ & sæculi, pro conservatione principum &c. in fine datur benedictio post Missam, aut expositionem, quæ benedictio summo cordis affectu ideo est suscipienda, quia ibi invisibiliter ipse Jesus Christus salvator noster per sacerdotem potentissima sua manu benedictionem suam nobis misericorditer impertitur.

De Concionibus.

§. 198.

Inter. Quidnam adhuc spectat ad Deum cultum?

R. Concio, verbi Dei ascultatio etiam spectat ad cultum Divinum.

Ad sanctificationem diei festi non sufficit solum Missam audire, quæ spatio mediæ horæ terminatur, sed sciendum est eum, qui totum diem sanctificare vult, etiam reliquo Divino cultui interesse debere, nempe conci onibus & cathechesibus, quod est præ-

præcipue animæ pabulum, præsertim pro
 iis, qui pios libros legere non possunt nec
 sciunt; colitur enim præcipue Deus noster,
 dum aut magnificentiam sanctitatem ejus
 depredicamus, in virtutibus exercemur,
 & peccata, quæ Dei amorem omnino im-
 pediunt, detestamur, quæ omnia fiunt au-
 diendo verbum Dei a pastoribus promul-
 gatum.

§. 199.

Inter. Quare audiendum verbum Dei?

R. Audiendum est verbum Dei:

imo. Quia per conciones & sermones
 verbum Dei profertur, & declaratur.

2do. Quia paucissimi fidei veritates &
 dogmata clare & perspicue intelligunt, &
 in juventute, nec diu nec attente doctri-
 nam excipiunt, qua fidei, morumque nor-
 ma proponitur.

Etsi omnis fidei nostræ morumque do-
 ctrina in sacris V. & N. Testamenti pagi-
 nis contineatur instinctu Spiritus S. conge-
 sta, non tamen ob sublimitatem ab omni-
 bus fidelibus præsertim rudibus intelligi ac
 percipi potest; ideo jam Christus ipse in
 hac terra legem explanavit & prædicavit;
 constituit Apostolos, Discipulos, eorum-
 que

que successores Episcopos, Parochos & Pastores in ministerium suum, qui verbum Dei fidelibus exponerent; concio itaque aut cathedesis nihil aliud est, quam fusa verbi Dei explicatio, quæ necessaria est, cum, etsi jam in juventute a parentibus & pastoribus luculenter prolibus cum lacte proposita fuit, ob juvenilem ætatem tamen & inconsiderantiam facile excidat, & ob non frequens exercitium, & memoriæ revocationem oblivioni detur, ex quo fit, ut ob ignorantiam & inscientiam præcepta Dei transgrediamur; de necessitate audiendi verbi plurima habemus sacrarum litterarum testimonia Prov. c. 4. v. 1. *audite filii disciplinam patris & attendite, ut sciatis prudentiam* v. 20. *fili mi ascolta sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam.*

Quomodo autem tu præsertim indocte, Christiane scies prudentiam & eloquia Dei. nisi audieris; Christus clare beatos prædicat, qui lubenter conciones audiunt, dicens Luc. c. 12. v. 47. *beati qui audiunt verbum Dei*; sicut enim mi homo, si vitam tuam temporalem sustentare vis, esu & potu refici debes, sine quo non diu vires, sic & sine auditione verbi Dei, quæ est vitæ spiritualis & animæ tuæ cibus diu sine peccato & morte animæ tuæ subsistere,

re non poteris; ideo nos Christus docuit orare, ut panem nostrum pater det nobis, sciens utique hominem sine cibo hoc purum diu non posse perseverare; ideo prætermis-
 sis Ecclesiæ frequentissimis statutis Cath. Rom in explicatione tertii præcepti admonet Parochos: *attente præterea, diligenterque sacra concio fidelibus audienda est, nihil enim minus ferendum est, neque tam profecto indignum, quam Christi verba contemnere, aut negligenter audire; eorundem cura esse debet, ut quæ ad Christianæ vitæ institutionem pertinent, diligenter addiscant; nisi agrum tuum excolueris & super eum feminaveris, fructum non afferet, sed spinas & tribulos germinabit, sic & nisi verbum Dei in corde tuo feminaveris, spinæ & tribuli, hoc est peccata & mala vita radices capient, crescent, & suffocabunt te; recogita mi Christiane, anne verum hoc sit, quam diu diligenter verbum Dei frequentasses, nonne in amaritudine animæ tuæ recogitabas dies tuos, sæpius cor tuum dolore transverberatum est, innocens permanisti, aut pœnitentiam egisti? quamprimum autem verbi Dei auditionem neglexisti, ibas in desideriiis tuis tepidus, & plane frigidus: en verbi Dei auditionis fructum & intermissionis damnum.*

§. 200.

Inter. Quid faciendum, ut ex concionibus fructus percipiatur?

R. Ut ex concionibus fructus percipiatur:

1mo. Verbum Dei sine divagatione mentis attente audiendum est.

Dum sermonibus Divinis interfumus, scire debemus Deum nos alloqui & exhortari per suos ministros, hinc omnes nostros sensus unice debere esse concionibus attentos, si fructum ex iis sperare & consequi velimus, omnia negotia domestica tunc postponenda, oculi semper ad dicentem directi, aut saltem non hinc inde divagantes; neque inveniatur, qui adhuc alios colloquendo, aut ad Ecclesiam non spectantibus actionibus ab auditione verbi Dei quoquomodo arceat, aut impediatur, de tali melius esset, si plane non interesset; scandali rei sunt ejusmodi, de quibus Christus Math. c. 18. v. 6. *qui scandalizaverit unum de illis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris;* quod & de iis intelligendum, qui verbum Dei contemnunt, concionatores irrident, & hujusmodi.

2do. Quæ dicuntur non aliis sed sibi applicandum.

Concionatoris mens nunquam ad particularia descendere debet, ne charitas lædatur, sed de vitiis in communi differendum est, alias sermo majus damnum, quam emolumentum parat; si tamen fit, quod impossibile est, de vitiis grassantibus sermo nullatenus ad alios est applicandus, cum omnes in omnibus offendamus, qui enim ejusmodi intentione sermonem audiret, fructus nullus sperari posset, cum humilitas desit, meminisse oportet semper effati Christi Domini Math. c. 7. v. 3. *quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? aut quomodo dicis fratri tuo, sine, ejiciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo.*

3tio. Seriam oportet esse voluntatem doctrinas in concione auditas conservandi & exequendi.

Finis auditionis concionis est, ut pii Christiani in virtutibus magis confortentur, vitia evitent & peccata; contra autem peccatores a via pessima revertantur, & pœniteant, hinc ex se patet quemvis audientem habere debere seriam voluntatem doctri-

ctrinas non solum audiendi, sed & in corde conservandi, & juxta illas vitam suam instituendi, ideo Christus Luc. c. 11, v. 28. *beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud*, & iterum Paul. ad Rom. c. 2. v. 13. *non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*; si volumus ex auditione verbi Dei fructum, nos oportet etiam puris mentibus interesse, non corde peccatis contaminato, non enim Spiritus S. sua unctiōne nos intrare poterit, si cor maculatum habuerimus, oportet præterea altius mente fingere, quæ dicta sunt, domi recoligere veritates quibus instructi sumus, alias diabolus venit & statim semen seminatum, quasi ventus dispergit.

Ad Dei cultum præterea spectant etiam pomeridiana Divina officia, ut Lytaniæ, Rosaria, & aliæ piæ orationes, quibus quantum fieri potest interesse nos oportet, ut diem festum toto die sanctificemus.

III. *Quadragesimale, quatuor temporum aliarumque ab Ecclesia statutarum dierum jejunium observes, die Veneris & Sabbathi a carnibus abstineas.*

§. 201.

Inter. Quid tertio Ecclesiæ præcepto injungitur?

R. Tertio Ecclesiæ præcepto injungitur, ut diebus Veneris & Sabbathi ab esu carniū, aliis autem vetitis diebus etiam a lacticiniis & ovis abstineatur, nisi alia legitima & communi consuetudine, quæ pascim in Germania viget, esus horum sit licitus.

Jejunia ab Ecclesia statuta, esse a Christianis sancte observanda, nonnisi is negare poterit, qui ad Ecclesiæ gremium non spectat, præcepto enim Divino Ecclesiæ obedire tenemur.

Jejunium ecclesiasticum duplex est, unum quod solum prohibet esum carniū, ut diebus veneris & Sabbathi; alterum, quod non solum prohibet esum carniū, sed & unicam per diem refectiōem admittit, ut in jejunii quatuor temporum, Adventus & Quadragesimæ, ex quibus constat essentiam veri jejunii non in abstinentia ab

esu

esu carniū, sed in unica per diem refe-
 ctione consistere; per hanc enim solum
 corpus nostrum mortificatur, & concupis-
 centia reprimitur, unde & tritum illud per
 se cadit, *liquidum non frangit jejunium*,
 cum per potum magis, quam per esum
 sanguis & concupiscentia exurgat; dum ita-
 que Ecclesia tempore maxime Quadragesimæ
 dispensat, hæc dispensatio ad esum carniū
 extendenda est, nullatenus autem, quasi
 unicam refectionem tollere vellet, qua
 omnes Christi fideles generaliter observare
 debent, etsi carnibus vesci illis sit licitum

Posita hac generali regula, lethalis pec-
 cati rei sunt, qui diebus ab Ecclesia præ-
 ceptis carnes comedunt, aut unicam refe-
 ctionem excedunt; caupones & alii, qui
 alicui ad jejunium obstricto cibos vetitos
 parant, aut jam bene pransis cœnam offe-
 runt, alios ad jejunii læsionem inducunt,
 irrident, aut præceptum Ecclesiæ pro ni-
 hilo habent; qui propria autoritate cibos
 vetitos comedunt sine omni necessitate &
 licentia legitima.

Excusantur autem a lege jejunii, qui ab
 Ecclesia, aut prudenti & conscientioso dis-
 pensantur medico, ut milites in difficilibus
 custodiis, & propugnaculis stantes, tem-
 pore obsidionis aut belli; pauperes, qui

ostia-

ostiatim mendicant, si una vice corpus suum reficere non possent; mulieres gravidæ & nutrices, cum fœtui naturali jure providere teneantur & periculum ipsis aut proli immineat; imo peccarent, si jejurent periculo se & proles exponentes; excusantur omnes, quibus aliquod opus faciendum incumbit, quod præstare observata jejunii lege non possent, sive dein pauperes sint aut divites, quod vires corporis notabiliter exhaurire potest; hinc liberi a jejunio sunt, officia charitatis in proximum difficiliora exercentes, ut animarum pastores sacramentis ægrotos providentes longius aut turbida tempestate, aut concionantes, si corpus per hoc multum defatigatur, qui ægrotis diu noctuque ministrant, vigilant; liberi a jejunio sunt præterea artifices, gravia, dura & laboriosa opera facientes, ut fabri lignarii, ferrarii, fossiores, agricultores, lapidæ, bajuli, vinitores, iter agentes pedibus, non curru; qui 21 annum non attigerunt, cum indigeant virium incremento; senes cum ad eam ætatem pervenerint, quæ decrepita, caduca & languida est, de quibus certum tempus statui non potest; gravius infirmi, dolores stomachi, capitis vertigines, deliquia patientes, aut noctes insomnes jejunii causa habentes, quibus & licitum est unicam refectionem, quæ ab aliis ad meridiem sumi-

mitur ad vesperum transferre, & mane etiam nisi stomachus non aliter admiserit, quid parum ad calidandum stomachum accipere possunt, ad quæ autem, ne conscientia propria lædatur aut in dubio agatur, dispensatio ab Ecclesiæ potestate adducto Medici attestato petenda est, quæ habita ratione nemini denegabitur, cum Ecclesia leges cum gravi incomodo fidelibus imponere nunquam intendit: notent autem dispensationes subdole acquisite nullas esse.

§. 202.

Inter. Anne præceptum Ecclesiæ adimpletur, dum vetitis diebus solum ab esu carniū abstinetur?

R. Ad implendum præceptum Ecclesiæ ejusmodi vetitis diebus etiam mortificatio debet adesse, quæ in eo consistit, ut semel tantum corpus per diem reficiatur & saturatur.

Jam §. præcedenti dictum est in quonam essentia jejunii, seu mortificatio consistat, nempe, ut semel tantum corpus per diem reficiatur; ordinarium tempus refectionis est meridies in hisce terris, non ergo decet prius ad mensam accedere, ne gullæ appareat appetitus; collatio særotina etiam

licita est, ita tamen ne cœna, sed cœnula vocari possit; notare oportet præterea, etsi cibus esurialibus utamur, nullatenus diebus jejunii exquisitissimos cibos, ad irritamentum concupiscentiæ exquirere debere, nisi finem jejunii transgredi velimus; ultro iis diebus bonis operibus, oratione, elemosina incumbendum; cur enim jejuna-
mus, quam ut peccata nostra ejiciamus ex cordibus nostris. *Et hoc genus Dæmoniorum non ejicitur. nisi per orationem & jejunium* Math. c. 17. v. 20. unde Moses gratiam accepit pro populo, quam, quia panem non comedit & aquam non bibit per longum tempus Exod. c. 34. v. 28. unde David remissionem peccatorum, quam jejunio Psal. 14. v. 13. *humiliabam in jejunio animam meam*, & Tobias c. 3. v. 10. *perexit in cubiculum domus sue, & tribus diebus & tribus noctibus non manducavit neque bibit.* Exemplum nobis dedit Christus salvator noster, & secessit in desertum & jejunavit 40 diebus & 40 noctibus Math. c. 4. v. 2. ex quibus patet legem ab Ecclesia latam non esse vanam quamdam observantiam, sed opus præprimis pium, & maxime utile in veteri & nova lege usitatissimum, quod prævaricari magnum nefas est.

IV. Singulis annis semel destinato ad id Confessario peccata tua confitearis, & in paschate sacram Eucharistiam accipias.

§. 203.

Inter. Quid quarto Ecclesiæ præcepto injungitur?

R. Quarto Ecclesiæ præcepto injungitur annua confessio peccatorum, & tempore paschatis sacra communio.

Etsi Christiani amore Dei excitati pii & ferventes sæpius per annum peccata sua confiteri solent, ut major illis addatur gratia, & via ad peccata præcludatur, tamen Ecclesia pia sollicita Mater statuit, cum inveniri possint, qui confessionem peccatorum negligerent, ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur, unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maxime acceptabili tempore quadragesimæ, quem morem S. Synodus maxime probat & amplectitur tanquam pium & merito retinendum. Conc. Trid. Sess. 14. c. 5. Destinatus confessarius est, qui ab Ordinario suo peccata

excipiendi in illis districtibus facultatem habet. Injungitur præterea tempore paschæ sacra communio, quæ etsi olim a die sancto Jovis majoris hebdomadæ computabatur; nunc tamen aliter introducta passim, est consuetudo a Dominica secunda quadagesimæ, usque ad Dominicam secundam post Pascha, ut fideles tempus habeant sufficientissimum præcepto Ecclesiæ satisfaciendi; unde si quis tempus hoc, quin communionem accederet, negligeret, ob præcepti violationem graviter delinqueret, ad confirmationem hujus præcepti adducitur Canon Conc. Trid. 9 Sess. 13. qui sic sonat; *si quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.*

V. Ecclesiæ vetitis temporibus nuptias non celebres.

§. 204.

Inter. Quidnam per quintum præceptum prohibetur?

R. Per quintum Ecclesiæ præceptum prohibentur nuptiæ a Dominica prima adventus usque ad Epiphaniam Domini & a die cinerum usque Dominicam in albis.

Cum

Cum enim tempus Adventus & quadragessimæ dies luctus & pœnitentiæ sint, qua propter etiam omnes nuptiarum solemnitates Ecclesia prohibet, quæ fiunt profanis lætitiæ signis, ut instrumentis musicalibus, cantionibus, quod præcipit æcumenica Trid. Synodus sess. 14. c. 10. dicens: *antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus præcipit, in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quas Episcopi, ut ea qua decet modestia & honestate fiant, curabunt, sancta enim res est matrimouium & sancte tractandum;* ex quo fluit abusus omnes in loco Ecclesiæ, ubi matrimonium celebratur, esse tollendos, ut potus, sonus instrumentorum, saltatriciis & hujusmodi; super præceptum Ecclesiæ, ut omnis occasio tempus Adventus & quadragessimæ dehonestandi præcluderetur, in terris Austriacis Augustissimus Imperator Josephus II. piæ memoriæ sub 14 Jan. 1785. prohibuit, ne temporibus hisce vetitis neque denuntiationes neque etiam copulationes, etsi non solemnes fiant, quod solum gravissimis de causis poterit dispensari; hanc autem legem non esse inanem, sed sanctam, præfata Synodus declarat eadem sess. Canone 14. cum eosdem damnet, qui contrarium senserint,

di-

dicens: *si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyranicam, ab Ethnicorum superstitione profectam, anathema sit.*

Finis Tomi I.

E R R A T A

A D T O M U M P R I M U M .

<i>Pag.lin.</i>	<i>Errata.</i>	<i>Correcta.</i>
18 13	alio	ali
33 17	cruitur	eruitur
52 1	acris	aeris
71 12	emandatio	emendatio
85 4	Christum	in Christum
85 24	proprietas	proprietas
107 2	æternis	externis
111 14	mutas	munitas
122 15	mentis	mentio
134 12	hic	hi
154 21	<i>diligentes, gaudebitis</i>	<i>diligetis, gaudebitis</i>
163 3	seviendum	serviendum
170 16	gloria	gloriæ
177 22	affirmavit	affirmant
188 27	Cibus	Cibos
189 11	umentorum	jumentorum
198 25	<i>Job</i>	<i>Joab</i>
204 24	superioris	superiores
213 3	<i>libidine</i>	<i>libidini</i>
213 9	Machiæ	Machiæ
219 16	occulata	oculta
225 13	toliter	tollitur
228 2	adulatores	adulatores
253 23	obtinere	obtinere
255 9	<i>propitatio</i>	<i>propitiatio</i>
255 13	propitiationem	propitiationem
262 5	etirm	etiam
262 13	significati onis	significationes
262 14	fatui	statui
271 8	rinitatem	trinitatem
276 16	scifo	scifio.

Errata minoris momenti benevolus lector corriget.



F R A W A
A D T O M U M P A R I M U M

Latin	English
101	alba
102	albus
103	albus
104	albus
105	albus
106	albus
107	albus
108	albus
109	albus
110	albus
111	albus
112	albus
113	albus
114	albus
115	albus
116	albus
117	albus
118	albus
119	albus
120	albus
121	albus
122	albus
123	albus
124	albus
125	albus
126	albus
127	albus
128	albus
129	albus
130	albus
131	albus
132	albus
133	albus
134	albus
135	albus
136	albus
137	albus
138	albus
139	albus
140	albus
141	albus
142	albus
143	albus
144	albus
145	albus
146	albus
147	albus
148	albus
149	albus
150	albus

151-152







